

1 an)



APVD INCLYTAM

IO·GARZO·
NIS BONO·
NIENSIS DE
REBVS SAX

ONIAE, THVRINGIAE, LI·
BONOTRIAE, MISNAE, ET
LVSATIAE, LIBRI DVO.

Ad illustrissimum Federicum
Saxoniae Ducem.

GERMANIAE BASILEAM.

ILLVSTRISSIMO

ET MAGNANIMO PRINCIPI GEORGIO,
SAXONIAE DVCI, THVRINGIAE
LANDTGRAVIO, MARCHIONI
MISNAE, ERASMVVS STEL-
LA HIPPOCENIVS LI-
BONOTHANVS FE-
LICITATEM.

Bellum quod progenitores tui Georgi prin-
ceps illust. aduersus duos Rom. Imperat.
Albertum & Adulphum, dum patriam
hanc nostram armis occupandam contem-
derent, non minus fortiter, q̄ pie gesserunt, superiori-
bus annis, Ioannes Garzon Bononiensis praeceptor
meus eruditissimus, historia tum eleganti, tum illustri
complexus est, quā fratri tuo Federico principi & ma-
gnanimo, & pientissimo dicauit, uel quo res tam pra-
lustres Federico duce gesta eadem Federico auspice in
publicum prodirent, uel quo generosissimo principi
domi esse, ut in prouerbio est, indicaret, unde rationē
imperandi sumeret, hoc est, gentilia exempla patere,
quibus ad consummati principis munus obeundum
incitaret, rebusq; patriæ, & pacis & belli tempore salu-
briter consulere posset. Cum nulla accommodacior uia
principi ad recte agendum, ac iuste decernendum in-
ueniri

ueniri queat, quæ sibi maiorum uestigia, quibus patriæ decus, comodum & salus obtigit, imitanda præponere, ut his obseruatis, res patriæ facilius, non modo conseruaturus, sed etiã ampliaturus sit: qua opinione sapientissimus ille animi effictor nihil à uia aberrauit. Nam breui post, Federicus noster cui latissimū Borussiae imperium cum sacrosanctæ Teutonicorum militiæ, supremo magistratu delatum est, talem egit principem, qualem ante eum nullus, post ipsum uix alter. Tanta enim sapientia, iustitia, prudentia, magnanimitate, uniuersam prouinciam administrauit superiorum bellorum incommodis: non solum laceram, sed etiam ob diuersa factionum studia in noua bella, ueluti inter saxum & sacrum constituta, pendentis, ut eam & pacatissimam, & omnium rerum copia florentissimam redderet, quibus commodis Borussia non modo se uiuo, sed & post fata eius perfungit, qua etem hodie felicitate gaudet, Federici prudentiæ acceptum refert, quæ ea diligentia seminaria procurauit, ut plantulas perpetuæ pacis parturirent: quamobrem non solum suis charus, sed & finitimis gratus, hostibus uero formidabilis exitit. At de his fusius in commentarijs nostris de rebus Borussicis, Nunc stilum ad historiam Garzonis uertamus, quæ maiorum tuorum, princeps illustriss. præclara facinora uiuo & germano simulacro exprimit, quæ auitas uirtutes depromit, super hæc ciuium amorem in princi-

pem suum indicat, quin etiam ipsa pacis & belli arteis edocet. Insuper stratagemata pulcherrima oculis subijcit, deniq; labores, pericula, exantlationes, quibus patria tua nunc florentissima, & conseruata, & aucta est, recenset: quæ cuiq; cognitu, nō poterunt non esse iucundissima: cuncta tamen hucusq; caligine obliuionis, & Cimmerijs (qd' aiunt) tenebris inuoluta, sine honore, sine gratia iacuerunt, quod idoneum scriptorem non reperierunt, quousq; Garzonis nostri literario lumine, quod unicum præclaris rebus immortalitatis affert, illustrata, & è recessu antiquitatis, ceu è Letheis aquis asserta: in hominum coronas prodire non erubescerēt, solem, lucemq; nihil formidarent. Verum cum Federicus germanus tuus omnis uirtutis specimen, lege fatali è uita hac ad meliorem cōcessisset, ne recens hæc factura patrono cum parente orbata, anteq; oculis hominū obuersaretur, in pristinas tenebras rediret, ac perpetuis carceribus lege obliuionis damnata manciparetur. Ego pro mea in domum tuam illustrissimam obseruantia, & quo animi in te mei studium utcunq; testificarer, has mihi partes desumpsi, ut foribus patefactis ipsam è uinculis assererem, anteq; ora hominum in theatris, in concionibus, in foro, in diatribis sisterem. Qua re, ceu mihi præfagit animus, domui tuæ splendorem, patriæ ornamentum, ciuibus uoluptatem, literarum studiosis notitiam & utilitatē me adlaturum auguror. Quod si
 aliena

aliena à nostratibus sæpenumero cum delectatione, si-
 mulq; admiratione leguntur, cur ea quæ nostra sunt, &
 tam sapiēter, q̄ prosperiter gesta despicienda forent:
 præsertim cum ea ipsa à Garzone ex fide & diligentia
 conscripta sint, eóq; dicendi genere condita, quo nulli
 classicorum cedant. Verum cum inuidia gloriæ comes
 esse solet, quo tam præclara facinora maiorum tuorum
 malignitatis aculeos effugere possint, Te principem il-
 lustrissimum ipsis patronum delegi, sub cuius tutela
 inuulgentur, non dubito quin tuis auspicijs freti, omnē
 loquutuleiorū rabiem facile superabunt. Insuper tuam
 celsitudinem rogo, immo obsecro, ut à rebus seriosis fe-
 riatus, ocium tuum illius historiæ lectitationi accom-
 modare uelis, inuenies in ea q̄ plurima quæ tua inter-
 esse putantur, & quæ ad usum Reipu. conducibilia de-
 prehendes. Quemadmodum enim Demetrius Phale-
 ræus, Ptolemæum Aegyptiū monuit, ut libros in qui-
 bus iusti regis, & clarissimorū principum gesta scripta
 essent, studiose lectitaret, è manibusq; nunq; dimitte-
 ret, q; in his exempla digna imitatione continerentur.
 Quod Alexander cognomento Magnus adeo obser-
 uauit, ut Homeri Iliada quā interdiu in manibus uer-
 sabat, noctu etiam sub puluinari retineret, sæpiuscule
 dictitans, se eius lectione ueluti sapientissimis consilia-
 rijs uti. Sed, ne sus Mineruam doceat, receptui canam,
 hoc si adiecero. Natura ita cōparatum esse, ut exempla

A 3 progenitorū

IO. GARZONIS BONONIENSIS EPIST.
 progenitorum in natos natorum, & qui nascuntur ab
 illis, usq; in omnem posteritatem traduci, ob id imitatu
 facilia fore. Superuacaneum duxi me Garzonis laudi-
 bus intendere, cum ipse suo splendore sic refulgeat, ut
 id moliens, facibus Soli lumen addere uiderer.

IOANNES GAR-

ZON BONONIENSIS, ILLUSTRISSIMO

FEDERICO DVCI SAXONIAE,

THVRINGORVM ET MIS-

SINENSIVM PRIN-

CIPI S. P. D.



Emper meæ cōsuetudinis fuit illustrissime
 Princeps, ut qui omnem operam atq; inge-
 nium ad uirtutem contulissent, hos amplif-
 simis laudibus prosequeretur. Haud enim
 scio quid uirtute præstantius in rebus humanis inueni-
 ri queat: quando qui eam possident, soli sunt diuites:
 soli fruuntur rebus sempiternis: quod si qui urbibus
 præsent, ea fuerint præditi atq; ornati. Hos non cum
 summis uiris comparo, sed simillimos deo iudico. Plus
 ter

ter centum anni aguntur, Italiam cum nobilissimæ domus tuæ fama peruasit. Nam ut à Federico illo quem dii immortales Saxoniae præesse uoluerunt, ordiar. Haud scio cui nam principi tam ampli adhibiti sint honores, cum Archimarfallus imperatoris Romani delector, gladijque aureati antelator Thuringiæ Lantgrauius, & Archimandrita Misnæ Margrauius, & Liminarcha decretus sit. Is etsi in tam alto honorum gradu collocatus esset: nõ solum Lipsi literarum gymnasium instituit, sed & alterum Erfordiae conseruauit. Ex castissima uxore sua duos in lucem suscepit filios Federicum & Vuilhelmum, Federicus patri in ducatu successit, qui hereticorum in Bohemia malleus & seuerissimus persecutor, liberos reliquit Ernestum & Albertum, hi nequaquam & ab auo & patre degenerarunt. Siquidem ille paternis muneribus ornatus, Saxoniae Dux declaratus est, simulque Thuringiæ & Misnæ imperauit. Albertus uero iussu Maximiliani, quod ex omnibus imperatoribus ei principatum detulerat, cum exercitu aduersus Morinos (qui & Flandri dicti) & Aduaticos (qui hodie Brabantini) profectus est. Quæ egregia facinora fecerit suo loco exponentur. Ernesto quatuor fuerunt filij, qui primum in lucem æditus est, Federico delata est dignitas paterna. Alius (quem Ernestum uocant) Archiepiscopus Magdeburgensis munere ac Germaniæ patriarchatu decoratus est. Quis silentio pratereat

IO. GARZONIS EPIST. AD FEDE. DV. SAX.
 prætereat Albertū archiepiscopum Maguntinensem,
 cuius quāta sit autoritas, res ipsa ostendit. Illi adijciam
 Ioannem principem certe omni uirtutum genere præ-
 stantem: Quid loquar de Georgio fratre tuo, quem de
 Latinis literis optime meritum omnes affirmant: Ex
 quo fit, ut in præsentis parentis munus sustineat. Quid
 de Henrico, qui nullam magis egregiam, quæ ut sub Ma-
 ximiliani Cæsaris signis militaret, nauare operam po-
 tuit: Hæc quanquæ ita sint, tu tamen antecedis illustrissi-
 me princeps, qui de te grande quiddam polliceris, non
 enim id (quod à fratribus tuis est factitatum) à studijs
 literarum tuum illud singulare ac diuinum ingenium
 seiungendum putasti. Ille ipse Plato à quo omnis Aca-
 demicorum familia emanauit, tum Respublicas bene
 esse arbitratur, si qui eas regant ad literarū studia
 ingenium cōferant. Tantorum principum ac
 tua dignitate, uirtutēq; cōpulsus, Federici
 Magni historiam scripsi, eamq; nomi-
 ni tuo dicaui, quā cum legeris re-
 liquis Germaniæ principibus
 eius legēdæ copiā facies.

IOANNIS GAR-
 ZONIS BONONIENSIS, RERVM
 SAXONICARVM LIBER
 PRIMVS.



VO tempore Federicus secundus im-
 perator Romanus aetatem agebat,
 Vitigitis Saxonum regis: cui ob res
 gestas Magno cognomen fuit, fami-
 lia Thuringiæ, Libonotriæ, Misnæ,
 simulq; Lusatia, quæ regiones sunt
 Germaniæ, imperabat. Consequentibus temporibus
 Albertus atq; Henricus, qui parente orti fuerunt Hen-
 rico his terris præfuerunt. Siquidem ille Thuringiam,
 hic Lufaciam cum Misna rexit, ac Libonotriam. Henri-
 co nulli fuerunt liberi uirilis sexus. Alberto filij duo, Fe-
 dericus & Theodoricus. Forte ita casus tulit, ut Henri-
 cus animam prope extremis (ut aiunt) labris teneret:
 Igitur Federicum atq; Theodoricum ad se acciri iubet.
 Apud quos in hanc sententiam locutum accepimus:
 Maeste uirtute iuuenes multos annos Misnæ, Lusatia, Oratio
 ac Libonotriæ imperaui: & ita imperaui, ut maiorum ad nepo-
 nostrorum nobilitati responderim. Nunq; ab illis de- tes.
 generaui, nunq; genus nostrum dedecoraui. Nam cum
 B hostes

hostes bello perfequerer, nullus unquam me subijt timor, strēnui militis, & boni imperatoris officia semper simul sum executus. Siquidem si castris locus capiendus erat, si exercitus instruendus, si urbes expugnandæ, si cum hostibus collatis signis dimicandum, si uis frigoris, atq; hyemis excipiendâ, quis hæc me elegantius fecit? Quoties cum Vindelibus ac Sarmatis (quos nostri Bohemos & Polonos uocant) signa contuli, toties uicti, cæsi sunt, & fugati: ut arma cessarūt ad pacem animum uerti. Quanta tranquillitate, quantōq; ocio usæ sunt regiones nostræ, nequeo uerbis consequi: eas nemo unquam, uel minimo latrocinio uexatas audiuit, qui se flagitijs contaminarunt, siue infimo, siue nobili essent genere, in eos est seuerè uindicatum, qui ad me uenerunt legati, & humane accepti sunt & benigne, & amplissimis muneribus affecti. In hunc modum rem & priuatam & publicam conseruauit, atq; auxi. Vrbes, quas quiuis urbeculas dixisset, amplissimas reddidi, subditorum nostrorum salutem cæteris rebus semper potiozem habui. Sub terram fodi inueniendi argenti gratia, optatis fortuna respondit: omnem operam, ingenium, studium, uigilantiam, ad eorum, qui imperio meo seruiunt, utilitatem contuli. Nunc quoniam mihi de uita decedendum est, illud uos admonitos uolo, ut alter alterius studiosus existat. A uobis quod uterq; apud

apud me liberorum suauitatem obtinet, mihi succedetur: quare fortem & constantem suscipite animum, diu mihi cognita est uirtus uestra ac perspecta, nulla spe decido, quin n̄ futuri sitis, quales opto. Prioribus annis mi Federice ab Vuenceflao Bohemorum rege Imperator aduersus Sarmatas creatus es: quæ in eo bello egregia facinora feceris, haud mea dilabuntur memoria. Reportasti tu amplissimam de hostibus uictoriam. Nec uideo Theodorice, quin mihi de te bene sperandum sit, qui in quam frugem euasurus es, maxima ab adolescentia dedisti documēta. Nam quæ ad strenuum militem spectant: ea tu calles, qui ætatem uirtute superasti. Adsit uobis memoria, quod non infimo, non ignobili, sed regio estis genere: quare regijs sitis moribus ornati, necesse est. Ego per meas (si quæ sunt) uirtutes, exempla ædidi: nec est apud me dubium, quin quæ gessi, ea sit omnium mortalium fama celebratura. Cum finem dicendi fecisset, qui apud ipsum maximo erant honore, Libonothani & Misnenses, ad se accersiri iussit, atq; ita locutus fertur. Et si uiri optimi, diu re ipsa cognouerim, qui nunquam fide decesseritis, tamē quod sum à uobis postulaturus id, ut non modo non inficiamini, sed facturos spondeatis, uos obtestor & obsecro. Non uos fugit hominib⁹ diu uiuere denegari, ex quo ipsis relinquēdū est aliquid, quo se uixisse testent̄,

Oratio
Henrici
ad Misnenses & Libonothanos

B 2 plura

plura bella gessi. Exteras gentes, potētissimos populos, clarissimos reges praelio subegi, hostem semper superauī, prostrauīq; , nuncq; cessi, nuncq; referre gradum sum coactus. Quæ homini optanda est, eam sum consecutus gloriā. Senex sum & grauis annis. Expleui naturam uiuendi facietate. Breui sum uita, decessurus Christum optimum, maximum, Mariamq; cæli reginam, ut mihi in cælum ascensus detur: quibus possum, precibus, obsecro. Quare illud peto: ut hos, qui me cognitione attingunt, iuuenes ueneremini, obseruetis, colatis. Hi sunt, quibus regni mei dominatum, principatumq; trado: eorum studijs pareatis. Ipsos quippe futuros, mihi facile persuadeo, qui imperium non solum conseruaturi sint, sed etiam aucturi. Vt orationi finem imposuit, nemo potuit lachrymas continere, q; principem integrum, castum, grauem amissuri essent. Tandem cum mœrorem, luctumq; deposuissent, responderunt sese eos fore, qui uoluntati suæ, si casu de uita exiret, minime defuturi essent. In hunc modum Federicus imperium adeptus est: atq; ab omnibus, qui Lusatorum, Misnensium, & Libonothanorum summum obtinebant gradum, princeps uocatus. Theodoricus uero in imperio socius atq; adiutor dictus. haud multo post Henricus migrauit de uita, ac magnis funeris impensis ad templum, quo maiores sui elati fuerant, elatus. Neque oratione cōsequi, quantum laudis in regno benegerendo

Federicus
Marchio
declaratur.

gerendo, sibi iuuenes uendicauerint: quando in tanta potestate sic se adhibuerint: ut nulla alia ab his, quibus præerant ciuitatibus desyderata sit potestas. Nam ut incredibilem eorum liberalitatem silentio præteream: nullum uirtutū genus est ab his prætermisum: ut quiuis de cælo delapsos arbitraretur. Ad eos ex diuersis ciuitatibus Legati gratulatum mittebantur, quos maximis atq; amplissimis muneribus afficiebant. Quæ res illis non mediocre odium apud Albertum patrem, qui Thuringiæ imperabat, cōflauit. Nam ut liberos in tam alto atq; amplo dignitatis gradu collocatos animaduertit, ad eos literas in hæc uerba scriptas perferri iussit. Quod Misnensium regnū, cui iure præficiendus eram, præoccupaueritis filij, magna me tenet admiratio. Henrico frater eram. Non me præterit, quibus causis adducti, Misnenses huiusmodi scelera machinentur. Haud impune illis erit, quorum consilio, alieno minime abstinuistis. Diu mihi nota est Misnensium insolentia, qui libertatem reliquis rebus potiorem habent. Ad quam ut mentem erigant atq; extollant, Otto, quē Endauum esse aiunt, plurimū hortatur, eosq; ad sententiam suam traducere adnuitur. Quin illud mihi grauius ferendum est, quod uobis quibus per ætatem, nullus est rerum usus, principatum detulerūt: Accedit quod eos, qui nostræ sunt ditionis, q̄ amplissimis prosequimini honoribus. Has literas cum princeps qui ue apud ipsos auto-

Literæ Alberti ad filios.

ritate poterant & uoluntate : uiri præstantissimi ac po-
 pulus Misnensis legissent: non mediocri, quod Alber-
 tus tantam temeritatis notam, nulla laceffitus iniuria
 subisset, qui in liberos & Misnenses nimis acerbo nite-
 retur odio, sunt admiratione perculsi: Igitur Misnen-
 ses, ne tantū animo dolorem capiat, respondent: quan-
 do Henrici uoluntati morem gerant: qui cum animam
 efflaturus esset, Federicum & Theodoricum hæredes
 instituerit: sese qui illius mandata exequerentur, sacra-
 menti religioni obstrictos: Nec arbitretur eos suæ liber-
 tatis immemores: ut non malint sub eius principis, ad
 cuius summam prudentiam magis magnus usus acce-
 dat, existere: quam ab homine, nec prudentia, nec usu
 exulto, gubernari. Quare si liberis suis principatū de-
 tulissent, nullo dolore afficeretur illos esse, quibus pa-
 rendum statuissent. At principes, ne parentis odium
 sibi concitarent: ad eum literas perferri curant, quibus
 illum docent: nullum in ipsis hæreere crimen, nec ulla te-
 meritate lapsos. Hæc dum Fribergæ (quæ urbs Misnæ
 est argenti, minerisq; opulentissima) geruntur, allata
 sunt ad Albertum literæ: quas cum legisset, nulla uolu-
 ptate affectus est. Igitur legatos ad principes mittit: ut
 simul, quorum apud Misnenses magna est autoritas,
 hos conueniant. ad Lipsim urbem, quæ Libonotriæ ca-
 put existit: ubi de rebus ad regnum pertinentibus, ha-
 bendum erat cōsiliū, cuncti proficiscantur, moneant:

Fribergū.

Lipsis.

ipse

ipse confestim aderit. Nomē hæc regio à Libonicis populis uetustis: uel à Libanotho principe, qui regioni imperauit, sortitum est: hi populi à Cornelio Eudorsij nuncupant. Haud multū interim tempus fuit, cum omnes Lipsim uenerunt. Tandem multis uerbis ultro, citròq; habitis, ira ab Alberto sustineri nō potuit: quin in principes grauiter inueheretur, ac suam uocaret hæreditatē lege agnitionis, quod Henricus ei frater extitisset. At principes Henricū ea fuisse sentētia, respōdent: ut ei uita functo, ab ipsis succederetur: periniquū esse, & nō ferendum, si Henrici uolūtati deessent. Eandē protulisse sententiā, sunt qui affirmant quendā Henricū Schonbergensem, qd' is Misnēsis studebat. Vt em̄ Albertus iram suppressit. Nō inquit, tibi ex animo excidant, quæ in Vitigitis familiam beneficia contulit populus Misnensis: ea fuerunt, quibus ille in multum potentiæ euasit, Thuringiam ditionis suæ fecit. Federicus prim⁹ cum in Italiam exercitum traieçisset, ad Mediolanū & Florentiā castra posuit. Nō te fugit, quantā in Misnensium præsidio gloriā adeptus fuerit: multas Italiæ urbes obsedit, quas tandē ui subegit. Statutū est Misnensibus ac decretū, ut Henrici hæreditatē liberi tui adeāt. Abieçisti tu omnē humanitatē, qui filios ob tam singulare beneficiū collatū, incredibili odio prosequeris. Qd' si illis bellū indixeris, nec studijs tuis obtēperabunt, nec deerunt, qui tuendos suscipiant, etsi superuacaneū est, quando

Ira Alberti

Oratio
Henrici
Schonber-
gensis.

Cum prin-
cipe Bran-
denbur-
genſi. for-
dus inſit.

Situs terræ
Miſneſi.

quando uterq; ea ſit magnitudine animi præditus, qui imperium ſuum per ſe tueri poſſit. Tum Albertus ira percitus, quod fortuna ſua deſpecta eſſet, Thuringiam ſe recepit: atq; animo agitare cœpit, ſibi ne liberorū ex Miſna pellendorū daretur facultas. Igitur haud tutum ratus, ſi ſolus in eos impetum faciat, cum Ioanne principe, hic quidem Marchiæ Brandenburgenti præerat, colloquium habuit, hunc ut ſibi qui cum liberis bellum ſuſcepturus eſſet, præſidio foret: precibus obſecrauit. Nullam eſſe urbem, quæ illorum ſit ditionis, ad cuius moenia non ſigna prope inferat. Facile poſſe eos opprimi, ſi agros populetur: uicos exurat: arbores succidat: hominum, pecorūq; prædam agat. Quod ſi cum exercitu uim repellere adnitentur, ſe cum magnis copijs, quibus abundauit, præſto futurum. Qui illorum conatus comprimat. Nec uereri quin breui ſit eos ſub imperio ſuo redacturus. Libet mihi Miſnæ, quæ regio eſt Germaniæ, ſitum paucis exponere: Hæc ad Albim flumen poſita eſt ab ortu Solis haud longe abſunt Vindali: à meridie, Bohemi: à ſeptentrione, Saxones: ab occaſu, Libonotria eſt: cui fines Sala & Muldauus amnes præſcribunt: ultra Salam Thuringi ſedes habent. In ea multæ ſunt opulentiffimæ ciuitates: munitiffimæq; caſtella. Hanc olim Calucones, Danduti Ptolemæo teſte inhabitarūt. Libonotriam uero Herthane, Eudoſi, Varini, atq; Suardones tenuerūt, qui poſtea in uniuerſum Serabi

Serabi dicti fuerunt, regio adeo in omni frugum genere fecunda est, ut toti ferè circumiacenti regioni ad abundantiam sufficiat: huic non frumēti modo est magna copia, uerum etiam uini, mellis, pecorisq;. Cum igitur principes parentē cum manu haud quaquam contemnenda aduersus se contendere, & fama & literis acceperissent, repente ad Lipsim iter contulerunt: ubi, quos sibi officijs & beniuolentia cōiunxerant, principes compluris ad se euocari iubent, quæ ipsis animo sententia sedet, exprimunt: sese incertos consilij, parenti ne cum expeditis militibus: id quod est filiorū ab omni humanitate abhorrentium se obijciant, urbesq; & castella ab irruptionibus tueantur: an uoluntate in deditionem proficiantur, at in summum dolorē adduci: cum quos Henricus hæredes instituit, eos exhæredare adnitatur. Nullam rem esse, quæ illi admirationē præbeat, quando se futuros, qui Henrici testamentū re ipsa executuri essent, sacramenti religione obstrinxissent. Ipsi cum ingenio & consilio præstarent, ne quid detrimenti respuerent, enixe operam darent, Henricus Eudanus, cui in capiendō cōsilio, summa erat prudentia: & in dicēdo fides. Nullus (inquit) maximi principes uos subeat metus, CHRISTVS optimus, maximus, præstabit auxilium, propulsate patris iniuriam: cui si ob perpetrata scelera essetis in odio, æquiori animo ferrem. Quis est tam iniustus rerū æstimator, quē tanti dissidij causa lateat,

C pace

Deliberatio principum.

Oratio Eudani ad principes.

pace uestra dixerim Alberto ex uilissimo scorto, cui Catharinæ est nomen, natus est filius: illius hortatu ad hunc principatum deferre constituit. Estis principes, & corporis robore, eaq; animi magnitudine, ut patris (si pater dicendus est) impetum excipere possitis: quoties cum eius militibus signa cõtuli, toties cum ipsis prosperam pugnam feci. Ad unum omnes cæsi sunt: mihi hanc prouinciam depono: nec recuso omnem impetum belli in me conuertere. Dum hæc aguntur, nunciatũ est principibus, Ioannem Brandenburgensem, quem Albertus necessitudine (ut supra diximus) sibi coniunxerat cum copijs in agrum Misniacũ iter fecisse: cuncta igni, ferroque absumpsisse: magnam uim hominum, pecorumq; abigere. Tum Federicus tantam animo concepit iram, ut eius iussu Theodoricus cum exercitu ad uiscendas illatas ciuibus iniurias, proficisceretur. Oppidani ubi principem cum præsidio profectum cognouerunt, patefacta porta (nam se moenibus tenebant) subito erumpunt, hostes adoriuntur, plus sexcentos ceciderunt: reliqui in fugam uersi sunt, quibus omnis præda adempta est. Præerat exercitui Theodorici Iacobus Schonbergius, rei militaris scientissimus: is nihil commisit, ut eo prælio reprehendi iure posset. Interea nunciatum est Theodorico, hostes non longe ab urbe Luca Lusatia castra posuisse: quod ipsis ab Alberto (nam copias Mars minuerat) armatorum subsidia

Branden /
burgensis.

mittenda

mittenda essent. Verum Theodoricus, si in hostem anteq̃ numero fieret amplior, impetum faceret, tutius existimans, Iacobum Schonbergium in secretum abducit: Multo inter se, an cum hoste signa conferenda essent, cōsilio egerunt. Tandem in hanc sententiam inclinatum est: ut Legati ad Ioannem Brandenburgium mitterentur, qui causas belli sciscitarentur. Re ita composita, Legati ad Albertum peruenerūt: qui dignitate præstabat, ita locutus fertur. Vehemēter admiramur, cur nulla facta belli denunciatione, Misniacos agros, qui Federici principis imperio subiiciuntur, peruastrandos duxeris. Tu Henricusq̃ inter uos pacti estis, ne alter alterius agris, urbibus, castellis, uel minimā iacturā afferret. Desciuisisti à fide, cuius milites latronum ritu, Federici agros populati sunt, conatiq̃ eius oppugnare urbes. Neq̃ tu ignoras, quo animo, qua fide, qua constantia in maiores uestros Misnenses extiterint: qui de suo erga illos studio & perseuerantia, cum difficillima erant tempora, nunq̃ remiserunt. Tantam iniuriam abs te præter iustitiam nobis illatam, principes nostri ferre nequeunt. Quare satisfacias oportet: Sin in sententia manes, tibi illorū uerbis bellum indicimus. Ioannes ira infensus: Si, inquit, Misnensibus & Lusatijs, qui & Misnenses sunt, bellum intuli, mirari desinite. Haud ab re in Misniacum agrum à militibus nostris facta est irruptio. Siquidem nonnullas Vindelorum urbes, quæ

Oratio Legatorum Theodorici.

Responsio Ioannis.

C 2 imperio

imperio meo subiēiebant, suae ditionis fecerunt. Quis illud nō iniquo tulerit animo, cum Federico Imperium me minime cōscio tradiderint? Mihi profecto iure optimo succedendum erat, consulendum illi fuit existimationi meae, ad eam omnis cura sua conferenda: accedat ipsa, quam mecum inijt pactio. Nunquā se regnum, quoad mihi uita cōtingeret, occupaturū. Quare si belli studia mihi deponēda sunt, prouideant: ut mihi iactura refarciaf. Tum Legati, nō esse Misnensium, respondent: ut quae secunda pugna parta sunt, ea languore & desidia adducti, reddant. Si Vindelosi ui subegerunt, eos tamē imperio suo seruire. Verum Sarmatarum, ac Slesitarū potestate ac ditione liberatos, se summopere cur eius rei mentionem fecerit: admirari: Federico sub ea conditione regnum tradidisse, ut Alberto praesidio esset. Optimum quenq; principem, si parens in filio alieno esset animo, ad componendam pacem, omnes rationes suas conferre, abhorruisse eum ab hac sententia: qui honestissimos filios, nullaq; uirtute egētes, acerbissimo odio prosequeretur. Fortunam belli ancipitem esse, saepenumero robustissimum exercitum parua manu profligatum: nec à quibus bella suscipiantur, ipsos ocio uacare. Interea Theodoricus cum ualidissimo exercitu in agrum Deberlochiū peruenerat: cum ad eum se Legati receperunt: cui cum quod acceperant, responsum reddidissent, ab uniuerso exercitu est ad arma con-

damatum:

clamatum, omniū manus ad gladium, lanceamq; prae-
 riebant. Verum Theodoricus, ac Iacobus Schonber-
 gius, cuius consilio & sapientia ad rem militarem ute-
 batur, sese à pugna continuerunt. In sequenti nocte
 nam caelum albescebat, cum copijs pfecti. Quinq; mi-
 lia passuum ab hoste locum castris ceperunt. Tertio
 post die sub lucis exortu, Theodoricus curare corpora
 milites iussit, eosq; accersiri, Atq; ut bono animo pu-
 gnam capescerent, hortatus est. Non illius uirtutis
 bellicae, non militaris disciplinae, non praeteriti tempo-
 ris famae, cum sub Henrici signis militabant, memoriā
 abijcerent: se eosdem esse, qui tot amplissimas de hosti-
 bus uictorias reportassent, sibi in memoriam redige-
 rent. Ipse quantum in se esset, & strenui militis, & opti-
 mi Imperatoris officia simul exequeretur. Theodorici
 oratione militum animi uehementer accensi sunt. Igi-
 tur omnes, quadringentis praemissis equitibus, qui ho-
 stes ad pugnam allicerent: armati atq; instructi pro-
 deunt. Haec paucitas effecit, ut ipsi, nulla interposita
 mora, castra egrederent, manūq; consererēt. Inter con-
 gressionem Theodoricum cum expeditis Legionibus
 adesse, qui Ioannis copijs praerat, ex exploratoribus
 cognoscit. Tum Theodoricus, quo egregiam fratri na-
 uaret operam, acies instruit, quenq; Militem: cuius uir-
 tutem pluribus praelijs didicerat, suo loco disponit. Im-
 perator hostilis, ne circumueniret: metu perculsus, gra-

Oratio
 militaris.

dum retulit. At Theodoricus, cuius animus ad cōserendam manū ferebat, eos milites in quibus cōsequenda uictoriæ spem cōstituerat, hortat: hostem persequant, q̄ eius animum fugiendi, magisq̄ pugnandi cogitatio subeat, uix se in castra retulerat. Cum Theodoricus affuit, Imperator hostilis, q̄ animum receperat, copias in aciem eduxit. Diu pugnatū est equo Marte. Tandem intra castra cōpulsus est Iacob⁹, ut hostem prælio profugum, se in castra retulisse animaduertit. Haud cunctemur, inquit, Theodrice: uictoriam nobis fortuna protendit. Stationes oppugnemus: nimirū expugnabimus, q̄ peditū multitudinē abundam⁹: & ab equitatu firmi sumus. Vix finem dicendi fecerat, cum Theodoricus quinque equitū miliū manu, ac pari ferè numero peditum comitatus hostiū castra ingressus est: ad quæ qui custodiam habebant, illi occurrunt. Sed cum uis uireijci nō posset, necati sunt: hostiū supra tria milia occisa: supra septē milia capta: cæteri salutis suæ fuga confluuerunt. Theodoricus ne de militib⁹ suis male mereret, castra ipsis diripienda concessit. Verū tam memorabili uictoria lætus, ad Federicū nuncium cum literis mittit: quib⁹ illum docet, hostilem exercitū à se superatū, prostratumq̄, Federicus nō mediocri exiliuit gaudio. Erat is ea tēpestare Picastrī, quæ urbs ad Elistrū amnem sita est. Siquidē paucis ante diebus cum maximis copijs eò contenderat, qd' Alberto Imperatori suo suppetias

laturo

laturo illuc diuertendum erat. Is quanta laude Theodor-
 ricum profecutus fuerit, nequeo oratione complecti: il-
 lum semper extitisse, in quo spem omnē, fidemq; locali-
 set: nec sua eum fefellisset opinio: Nec uereri ipsum, si
 ætate procederet Q. Maximo, sapiētia: Superiori Afri-
 cano, celeritate: ei qui postea fuit singulari consilio Pau-
 lo, ratione ac disciplina: C. Mario, uirtute præstaturū.
 Interea equites duo: qui cum prælium in mala spe esse
 cognouissent, sese fuga proripuerant: Ad Ioannē Mar-
 chionē uenerunt, nunciantes exercitum uictum, cæsum
 esse & fugatū. Eos, Imperator ne ex prælio, cum aduer-
 sam fortunam uideret, profugerit, an cæde cæsus fuerit,
 latere. Igitur ne tantam cladem acceptam inultam relin-
 queret, maximum ex equitatu ac peditatu coëgit exerci-
 tum: atq; in Lusatios peruenit. In ea regione urbs est,
 quā incolæ Lucam uocant, eius mētionē fecimus. Cum
 agrum populatus esset, & prædas hominū, pecorumq;
 egisset, castra ante portā locauit, diu eam obsedit. Sed
 cū in potestatē suam minime posset redigere, q; ipsam
 Federicus firmissimis præsidijs munierat. Situs præter
 ea inexpugnabilem faciebat, exercitum abduxit: atq;
 ad oppidum Haganum, quod id Theodorici imperio
 subijciebatur, oppugnandum peruenit: ipsum nocte
 & interdium tormētis uerberabat. Ut uidit id frustra in-
 ceptum esse, robustissimos milites, ac rei militaris scien-
 tissimos, ad se acciri iubet: his magnam uim argenti, au-

riq; si noctis silentio in murum euaserint: scq; præcipi-
 ti saltu in oppidum immiserint: ac necatis custodibus,
 portam aperuerint, pollicetur. Ipse cum expeditis mili-
 tibus confestim affuturum, atq; intraturum, illi impe-
 rata faciunt. Intempesta nox erat, cum armati muros
 scandunt: ac fune, id quod tutissimū uisum est, de ipsis
 demisso, per eum in oppidum descendunt. Qui custo-
 dibus præerat, Caspar Malicius adesse hostes cogno-
 uit: eos admonet, ne uocem emittant, quo ad unum
 omnes supplicio mortis afficerent: Ipsi retrorsum, ne in-
 spiciantur, se recipiant, Cum clamore sublato signum
 dedit: eductis gladijs in eos impetum faciant: cogantur
 omnes uita decedere, ne ab his impostērū, aut uis,
 aut fraus timeri possit. Dum securibus freti, portam
 effringere moliuntur, Caspar uoce signum ædedit. Ae-
 currunt custodes: prælium conseritur: haud quaquam
 par hostibus dimicatio fuit: quod cuncti occisione op-
 cisi sunt. Ad portam extra urbem erat Ioannes cum
 commilitonibus suis equo, armisq; instructus, atq; or-
 natus. Vbi illuxit, oppidani, qui ne in eorū præsidium
 uenerant milites, porta effusi in hostes impetū faciunt.
 Alios trucidant: alios in fugam uertunt: alios capiunt.
 Sunt qui Ioannem captum scribant, sed cognitum in
 pristinam libertatem restitutum. Tantæ stragis hosti-
 bus illatæ, Caspar Federicum, atq; Theodoricum par-
 ticipes effecit. Federicus paucis equitibus assumptis, &
 reliquas

reliquas copias ad Elistrū reliquerat : ad Misenam urbem contendit, quo Theodorico (si ita casus tulisset) praesidio esset. Dum hæc geruntur, non mediocri Ioannes, quod ad eum exitum, quem sibi proposuerat, peruenire non poterat, ita exardebat: deos, quod rerum suarum curam posthaberēt, incusans. Itaque literas ad principem Eberhardū, qui Cheruscis & Ascaniæ præerat, in hanc sententiam scripsisse fertur. Quanta beniuolentia, quantisque officijs, patrem tuum maiores nostri eo bello, quod prioribus annis cum crudelissimis hostibus gessit, complexi fuerint: res ipsa docuit. Illorū praesidio superior discessit. Ad complures Germaniæ principes: neque tu id ignoras: ab eo Legati missi sunt, praesidij implorandi gratia: cuncti se esse responderūt, qui cogitationes suas aliò contulissent: nequaquam eis obesse, à quibus nulla unquam fuissent iniuria lacessiti. At maiores nostri regnum uestrum tibi defendendum susceperunt: pluris patrē tuum, quam aliorum principum iniurias existimantes. Noli per deos immortales, ingratitude notam subire. Quo in statu res Alberti sit, te satis superque intellexisse puto. Superiori anno cum Misnensibus signa contuli. Fortuna improba, ut succumberem, effecit: cuius res superior esse consueuerat, ipse praelium aduersus hostes nullum secundum facio. Tanto in me fortuna exarsit odio. Quare si quid precibus apud te possum Alberti, egenti atque inopi auxilium præsta.

Literæ
Ioannis
ad Eberhardum.

C 5 Tecum

Tecum precibus fraternis ago. Contendamus cum Legionibus expeditis in Misnenses, binisq; confidamus castris. Haud uereor quin eos breui subacturi simus, atq; ad deditiōem compulsuri. Eberhardus tum misericordia commotus, tum ne beneficiorū memoriā abiēcisse uideretur, adductus, Albertum auxilio suo iuuantium statuit. Igitur exercitu ex quatuor milibus hominū congregato, in Misnensem agrum profectus: **Ilburgum.** primum ad Ilburgum, sic illi nomen est, quod Ilba comes extruxit, castra posuit. Duorum itinerum altero ad castrum illi ueniendum erat: Aut terrestri, quod ab **Muldaus** amne Muldauo non longe aberat: Aut per Albim flumen nauigandum: hoc ei tutius uisum est, quod terrestre iter permultis insanis substructionibus eorum, qui Federici parebant imperio, erat refertum. Igitur nauis ad urbem Vitigisburgium primis se intendentibus tenebris peruenit. Ei præerat quidam Bernardus agnatus Eberhardi. Adhunc, ut sibi tutum præbeat transitum, oratum mittit. Bernardus & metu territus & ne Federici odium sibi cōcitaret, se illum ut illucescet uoti compotem futurum respondit. Interim ad Federicum, quem ad Misnam iter fecisse non ignorabat, nuncium cum literis mittit. His Eberhardum cum ualido exercitu ad Vitigisburgium uenisse admonet. Ut sibi tutum præbeat transitum, postulasse, illum quantum coniectura consequi posset, Misnensium agrum igni, ferroq;

ferroq; absumpturum, atq; pecorū, hominumq; præ-
 dam acturū. Ipse rebus suis cōsulat. se uereri, ne agnati
 Eberhardi studijs, quod hominum multitudine abun-
 dat, obsequi cogatur. Ipsum Ilbæ castrum primum in
 potestatem suam redacturum. Has literas cum Federi-
 cus accurate legisset: suspicione, ne Eberhardus oppido
 potiretur, adductus cum copijs atq; oppidanis ad Al-
 bim, quo illi occurreret, præuenit. Insuper Henricum
 Eudanum, qui sub suis signis, cum plurimis cohortibus
 militiam militabant, ad Muldauum, ut omnes eius ac-
 colas, qui partim Plisnenses, partim Serabi, partim
 Prætoriani nuncupabantur. Sumptis armis, ad Ilbæ ca-
 strum deduceret: ubi & ipse cum Legionibus expeditis
 adesse pollicitus est. Primum illi ad castrum quoddam,
 quod Incolæ Dorganum, olim à Dorgeberto Sarrapa
 conditum, nominant, per Albim iter fuit: ut cognouit
 Eberhardi agris diripiendis, uastandisq; intendere: ad
 Henricum, ut relicto ad oppidum præsidio, cum cæte-
 ro equitatu ad se accederet, literas perferri iussit. Non-
 dum ille appulerat, cum Federicus haud procul ab ho-
 stium castris, castra habuit: haud pugnam, qd' milites
 de uia fessi erant, ædere statuit. Veruntamen ut omnes
 armati, instructiq; essent: quando collatis signis cum
 hoste dimicandum statuisset. In sequenti die per præ-
 conem edixit: Ipsi, cum tuba signum daretur, procede-
 rent: Cuncti Federici obtemperarūt uoluntati. Verum

Muldaui
 accolæ.

C 6 se nocte

se nocte in diem inclinante, hostes, quorum artus lenis somnus corripere, adoriret. Diu cōsiliū agitans, tandem congressu abstinuit, tum ob militū paucitatē, tum quod graui itineris labore confecti erant. Erant in castris eius centuriones, & animo & corpore præstantes: qui cum ad conferendam cum hostibus manū, oblatam sibi occasionem intuerentur: Tela uibrabant. Militum insuper animi ad pugnam incendebantur. Igitur centurionum iussu, tubicen pugnae signum dedit. Sublato clamore, ad hostiū castra cōtendunt: telāq; conijciunt: quibus stationū cura, custodiāq; mandata erat. Confestim hostes adesse Eberhardo denunciant: cui cum castra egrediēdi nulla esset potestas, ad ea tuenda animum uertit. At Federicus milites, ne animum contrahant, demittantūe hortat: qd' magnus hosteis metus incesserit. Verū Eberhardus se acri defenderat animo, atq; hostem om̄ib⁹ uiribus repellere conabat: utrinq; acriter prælio cōcurrebat: cum puluis ex loco haud distanti ortus, uelut nube inducta, implebat omnia. Federicus Henricum aduentasse existimans, haud falsus uates fuit. Bene (inquit) res se habet. Nunc optima spe præditus sum. Haud nox aduentabit: cum hostilibus potiar castris. Nolite commilitones mei animis deficere. Quisque non modo sibi, sed alij quoque animum afferat. Exuite hominem castris, præda in uestra manu est. Abstineo ipsa, nec me impediam. Hac oratione militum

Oratio
Federici.

militum, animi uehementē accensi sunt. Erat in exercitu
 Federici Henricus Stella Lipsensis: hic quod facinus
 memoratu dignum efficere studebat, primus hostium
 castra ingressus est. Hunc ingens militum multitudo
 est subsecuta: hostium plus quatuor milia cæsa sunt:
 quinque milia capta: milites ad diripienda castra passim
 discurrunt. Capti sunt Eberhardus, ac Remigijs Eroti-
 nus, deductique ad Federicum. Conferto prælio Henri-
 cus affuit. Tum Federicus subridens: Si (inquit) Henri-
 ce affuisses, ingentem prædam fecisses. Sed ne noui mo-
 tus aduersus ipsum excitarent, militem triduum in ca-
 stris continuit: ut nihil esse animaduertit, quo in suspi-
 cionem incideret. Iussit copias in hiberna perficisci. Ipse
 cum paucis equitibus ad urbem Fribergum iter contu-
 lit. Vt Ioannes Brandenburgensis Eberhardi copias
 profligatas, ipsumque unam cum pluribus nobilibus ca-
 ptum ex nuncijs cognouit, non mediocris eum terror
 inuasit. Non enim ipsius opes ac diuitiæ adeo insignes
 erant, ut illius redimendi sibi esset facultas. Insuper po-
 pulus Cherustus, qui nunc Astamus dicitur, odium
 diuturnum, & iam inueteratum in ipsum habebat. Quo
 factum est, ut urbem obsidione soluendam duxerit:
 animumque ad pacem cum Federico & Misnensibus com-
 ponendam uerterit. Verum quoniam meliori se conditione
 animaduertit, solutionem simulauit. Siquidem nobili-
 bus quibusdam, ut nocte in proxima uilla, quo à Mis-
 nensibus

Eberhar-
 dus captus.

nensibus prehenderentur, se occultarent, edixit. Edixit
 præterea, ut expeditorū militum duo milia, haud pro-
 cul à paludibus: quo Misnenses, si ad prælium facien-
 dum egrederentur, aut comprehenderent, aut de me-
 dio tollerent: in locis abditis delitescerent. Ipse in se-
 quenti die, luce prima ab urbe castra mouere iussit.
 Misnenses, quibus urbs tuenda data erat, non parua,
 quod subita obsidione liberati essent, admiratione im-
 buti, nequaquā urbem, ne per dolum caperetur, egredi
 audebant: ut illuxit, ex muris solitudinē in castris pro-
 spectant. Qui diligenter speculetur, speculatorem præ-
 mittunt, Quo se Ioannes contulerit, quid ei sit negoti-
 quos in consilium adhibeat, conquirat. Speculatori
 primum ad loca, ubi milites Ioannis iussu in insidijs
 subsidebant, iter fuit: illis obequitat, Incertus, an totus
 exercitus illic insideat. Vt retro in urbem rediit: Quæ
 inspexerat, refert. repente Theodoricus, quosdā fortis
 extremæ iuuenes, qui castris ignem iniiciant, proficisci
 iubet. Reliquum exercitum bipartitus est, quod alte-
 ram partem non longe à militibus, quos Ioannes in oc-
 culto locauerat, iussit considere: quo in explorato ex-
 euntes occideret. Alteram, quæ illi subsidio esset, atque
 adiumento, non multum seiunxit. Ipse magna armato-
 rum stipatus caterua, proximum cliuum conscendit:
 quo res euasura esset, prospectaturus. Cum castra flam-
 mis

mis conflagrarent, eò se retulisse hostes Ioannes arbi-
 tratus est: qui dum spolia colligunt, eos facile, si quos in
 insidias collocauerat milites, ad itinera insidenda mit-
 terentur, capi posse existimauit. Igitur militibus, qui
 apud ipsum erant, ut arma expedirent, iussis, eò se rece-
 pit. Hæc Theodoricus ex diuo prospectans: ut Legio-
 nes duæ, quæ Ioanni occurrant, per conuallem profici-
 seantur, edicit. Cum his uero qui castra incenderant, ut
 cõfestim in urbem redeant, per nuncium agit, monetq;:
 quo illis, ne in hostes, quos Ioannes subsidiarios uoca-
 bat, in antrum reconditos incidant, utendum sit itine-
 re: quod si antro se continebunt neminem, quantum in
 eis fuerit, egredi patiantur. Rebus ita compositis cum
 reliquo exercitu ad itinera insidendo, quo Ioannis Le-
 giones ducendæ erant, profectus est. Cum non multo
 post Ioannes eò cum copijs aduentasset, ob equorum
 hinnitum, armorumque fremitum insidias ac dolum
 formidans, retro uertit iter. Extemplo qui per conual-
 lem iter fecerant milites, sese illi obijciunt: nec certami-
 nis ullam quidem moram faciunt. Theodoricus, quas
 silentio continuerat Legiones, in aciem eduxit. Diu
 congressi sunt, uerum Ioanni haud æqua dimicatio
 fuit. Ex prælio profugientem, pauci subsecuti sunt
 equites, peditesque suorum: ceciderunt ea pugna duo
 milia, duo capta: haud procul fuit, cum à peditib⁹ duo-
 bus ex equo prostratus est: Nulla alia causa euasit, q̄
 quod

quod eos, ut pietatis, clementiæ, humanitatis partes susciperent, precibus fatigauit. Principio noctis Lucam se retulit, iussitq; ad Federicum literas perferri: quibus de prospera pugna à se facta certiozem fecit. Is cum eas legisset, incredibili exiliens gaudio: Abi, inquit, qui literas detulisti: ac nuncia Theodorico, quæ ab eo acta sunt, mihi grata extitisse: sed illa multo fore gratiora, si ad eas urbes, quæ Ioannis subiiciuntur imperio, exercitum admoueat, coneturq; eas in potestatem suam redigere. Insuper agros ferro, igniq; peruastet: quos obuios habuerit hostes, ad unum necandos curet, quibus poterit, urbes & diripiat, & incendio absumat. Inter cætera ad Francfordiam castra ponat, ipse paucis post diebus, qui illi suppetias feram, cum manu minime cõtemnenda adero. Theodoricus, quo in Federici uoluntate concederet, ac ualidissimo in urbe relicto præsidio cum reliquo exercitu, ad Francfordiam contendit, ipsum diu obsedit, ut uidit expugnationi difficile: Nam in eo dies prope triginta absumpserat, ad uastandos agros omni fuit cura intētus. Ex quo tantus Ioanni pauor iniectus est, ut Theodoricum ex discordia ualde acerba, atq; diuturna in gratiã reducere instituerit. Igitur qui inducias peteret, oratorem ad Theodoricum misit. Is nõ esse in sua potestate eas dare respondit, ad Federicum iter faceret. Quicquid ab eo institueretur sese ratum habiturum. Accessit orator Theodorici sententiæ: ut enim legationem

gationem exposuit, inducias sibi dare petijt. Federicus in oratorem oculos conijciens: Quoniam (inquit) non semel, sed sapius uicti & fugati estis: exercitus uestri occisione occisi: agri peruastati: urbes obsidione cinctæ, ad petendas inducias uenistis. Nulla uos iniuria lacessui: mihi bellum indixistis, antequàm in Misnensem agrum à uobis diruptiones fierent, hæc erant agenda consilio: nunquàm uobis fortuna affulsit, quoties nobiscum signa contulistis, toties uicti, perculsi, ac maiori parte exercitus amissa, cõsternati, profugistis: ut mihi, fratriq; meo imperium extorqueretis, nullum discriminis genus uobis defugiendum putastis. At ne clementiæ uidear abiecisse memoriam, duorum mensium inducias impetretis uolumus. Oratore dimisso de inducijs Ioanni datis, Theodoricum certiozem facit: ac Iacobum Schonbergium, ut in castris militem contineat, quod ei ad Haganum urbem proficiscendum sit, per literas admonet. Is locus erat, quo nobiles permulti, & Ioannis, & principes ipsi conuenturi erant: cum principes, quod suum de bello consiliũ foret, exposuissent: Ioannes Eberhardi, quem captum ostendimus (erat is quidem insolens atq; arrogans) mentionẽ habuit, indignum esse: ut tantus princeps in carcerem sordidum conijceretur, quod inter captiuos facienda esset distinctio. Tum Cotardus quidam Libanothanus, huic Eudano erat agnomen: ita concionatus est. Existimabam

Oratio
Federici.

Oratio
Eudani.

te o Ioannes huc contendisse, qui conditiones pacis
 tanquam à uictoribus acciperes: At quantum con-
 iectura possum assequi in hanc urbem profectus es,
 qui uictoribus eas dares: An principes nostros tan-
 tam temeritatis notam subisse arbitraris: ut captiuos
 tibi reddendos curent? Nihil à te prætermisum est,
 quo principum nostrorum posses imperium euertere,
 si durius aliquid accidisset, omnem in ipsos crudelitatem
 adhibuisses. optatis tuis fortuna minime respondit.
 Quas clades acceperis, animo agita. Hac oratione Io-
 annes uehementer commotus est: omnisque insolentia
 ei ex animo excidit. Igitur in hanc sententiam respon-
 sum reddidit. Quod me non solum prælio fuderitis,
 sed castris quoque exueritis, nulla me capit admiratio,
 cum sint incerti bellorum exitus. Si me prælio inferior
 rem discessurum autumassem, nunquam manum con-
 seruisssem. Nec uos à me dissentietis, quibus si fortuna
 aduersa fuisset, eandem subissetis calamitatem. Illud præ-
 dico, illud denuncio, ne maximæ cuiusque fortunæ creda-
 tur. Cui quondam fortuna aspirauit, cogor pacem pe-
 tere, quas mihi conditiones subeundas statueritis, haud
 recusauerim, modo ab humanitate minime abhorreant.
 Nulla sum imprudentia lapsus, ipse misericordia addu-
 ctus: quod parens uester sese regno à uobis spoliatum
 assererat: hunc impetum belli in me conuerti, ut ei sub-
 sidio essem: non postulabat, sed flagitabat: cum domo
 uestra

Responso
 Ioannis.

RERVM SAXONICARVM LIB. I.

uestra constitutam necessitudinem longe anteq̃ uos
nati essetis . Non referam quæ mihi beneficia contulit;
quæ si memoria deleuissem, quiuis me crudelitate præ-
ditum, ferum, asperum, inhumanum extimasset. Non-
dum sua in me merita sum affecutus . Suscipite per
deos immortales excusationē meam . Quid loquar de
Eberhardo principe, qui ut parentis uestri saluti, digni-
tatiq̃ subueniret, à uobis prælio fractus est? Is clausus
in tenebris, cum mœrore & luctu, morte grauiorem
uitam agit . Eum obsecro tam aspero carcere emitten-
dum curate . Plura dicere parantem, haud sustinue-
runt principes . Tum inter eos pax confecta est, ea in
has cōditiones conuenit . Omnis discordia è memoria
excederet, Imposterum se mutuis prosequerentur offi-
cijs . Eberhardus sub ea conditione, ut auri pondo sex-
decim soluerent, pristinae libertati restituerent, Ioannes
filiam Federico in matrimonium traderet . Extractum
est hoc bellum in annos duos, menses nouem.

IOANNIS GARZONIS BONONIENSIS,

RERVM SAXONICARVM

LIBRI PRIMI

FINIS.

IOANNIS GAR-

ZONIS BONONIENSIS, RERVM

SAXONICARVM LIBER

SECVNDVS.



INTEREA Albertus, cum quod antea tentauerat, id parum procederet: incertus consilij, utrum omnē curam suam ad componendum cum liberis pacem conferret: an bellum instauraret, sese in Thuringia continebat. Ita em̄ propositum illis ex sententia cesserat: ut nonnuncq̄ rebus suis diffideret, ac desperaret: tandem eos iterum bello persequēdos statuit. Vt igitur regionem Lusatorum, Misnensium, & Libanothanorū, cui Federicus, Theodoricusq̄ imperabant, ditionis suæ faceret, Adulphum Nassauum, cui per id tempus delatum erat Romanū imperium, conuenit: huic reliquæ urbes, castella, agricq̄, quibus liberi imperabant, ab eo uenierunt: ut quorum potestas late patebat (Siquidem magnam Germaniæ partem complectebatur) hi in paupertatem inciderēt, misericq̄ redderent, uerum Adulphus cum emisset ære alieno, in multum potentiæ euasit: ut ne deos quidem iratos sibi timendos duceret. Haud præterea parua elatus erat lætitia, quod in Bohemos, quibus cum bellum suscipere

suscipere statuerat, facilis patebat aditus: paucis post diebus Albertus sese patriæ reddidit. Tum ipsum qui fieri posset: ut quem ex impudico scorto in lucem susceperat, filio (huic Ludouico nomē erat) Thuringia hæreditate obueneret, cogitatio subiit. Et si res ipsa admodum difficilis esset, nec mediocri egens consilio: eos tamen, qui inter cæteros insignes erant, sibi conciliabat. Id optimum factu existimans, qui annos pubertatis egressi erant, nobiles ad se alliciebat: hortabatur quæ, ut ad rem militarem incumberent: qui ea præstitissent, cæterosque antecellerent, hos maximis muneribus se prosecuturum: non solum recipiebat, uerumetiam ultro pollicebatur. Complures in auratorum equitum numerum adscripsit: & eos potissimum, qui nobili erant genere. Forte ita casus tulit, ut ludos militares ex industria pararet: qui excellerent, hi amplissimis muneribus afficerentur. Permulti conuenerunt, tum spectaculi, tum dimicationis gratia. Fama est alios lussisse hastis, alios gladijs, alios lapidibus, alios palæstra. Ut ludis finis impositus est, ex omni multitudine sexaginta ad se acciri iubet iuuenes: qui quoniam longe ante alios egregie dimicauerant: ab eo balteis aureis, gladijs militaribus, calcaribus aureis, castellis, agris donati sunt, princeps (cum amplissimis uerbis iuuenes gratias egissent) huiuscemodi orationem habuit. Egregia uirtus uestra, quæ hodierna die præ uos tulistis præstantissimi iuuenes, esse

Dicit, ut

cit, ut maxima sim uobis beneuolētia obstrictus. Quæ
 à me accepistis munera: & si debilia sunt, atq; exigua,
 ea quæso bono, iucundóq; animo accipiatis: in poste-
 rum maiora, amplioráq; accepturi estis: Optima rei mi-
 litaris iecistis fundamenta: in ea per deos immortales
 incumbite, hæc est, qua fortissimi uiri cælestium nume-
 rum auxerunt. In hunc maxime modum, nomē uestrū
 immortalitati commēdabit. Nec quicq; est ex omni-
 bus rebus humanis præclarius aut præstantius, quam
 uos ea præditos esse uirtute, qua à patria hostium im-
 petum possitis propulsare. Illius amplitudinem non so-
 lum conseruare debetis, sed etiam augere. Semper ue-
 rum decus in ea uirtute posui, quæ patriæ salutaris ef-
 fet: eam uos facultatē habituri estis: Quare pergite ut
 cœpistis: Quantum in me fuerit, nec consilio, nec uolun-
 tate uobis deero. Plura in hanc sententiam dicerem, ni
 uos eos, quales opto, futuros cōsiderem. Hæc eò refere-
 bantur: ut Ludouicū institueret hæ redem: At iuuenes
 quod uirium robore florebant: tantam principis libe-
 ralitatem non admirari non potuerunt. Quisq; se eum
 futurum pollicebatur, qui, ut in uirum uirtute præditū
 euaderet, ne ullum quidem laborem defugiturus esset.
 Qui uero graui premebantur senectā (nō enim ad quē
 exitū res ipsa peruentura esset, eos latebat) his huiusce-
 modi spectacula dolorē, mœroremq; afferebant. Hæc
 dum agebantur, Adulphus Philippum Nassam (erat
 hic quidē illi patruus) cum Legionibus expeditis Sue-
 uorum

uorum, in agrū Libanothanū proficisci iubet: monetq;
 ut cuncta igni, ferroq; absumat: ciuitates oppugnet:
 principes submoueat: atq; omnē regionē in potestate
 suam redigat. Philippus ut hæc Adulphi uoluntati cō-
 cedat per Thuringiam ad Cziticā urbem (olim Czitto
 conditam) uenit inde perpopulato agro, tugurijsq;, &
 uillis ac templis igni crematis, ad Bornium cōtendit: ibi
 dies aliquot statiuā habuit, ad Elistrū reuertit̄. Tandē
 nō longē à Picastrō, ubi nōnulli Federici copię hiberna Picastrū.
 uerant, cū exercitu cōsedit. Hæc postea c̄p̄ Federico nun-
 ciata sunt, cōfestim Lipsim cū exercitu iter fecit: Theo-
 doricūq;, ut reliqs copias ad Picastrū admoueret, mo-
 nuit, q; eō p̄fecturus esset. Theodoricus enixe impera-
 ta fecit. Haugutius, qui ad Picastrū custodiam habebat
 Imperator: tantū ei hostilis exercitus terrorē iniecerat,
 q; nec egredi audebat, nec militē in aciem educere. Igit̄
 qui exercitū hostiū lustret, cōtēpleturq;, silentio noctis
 emittit: castra ubi sunt locata cōquirat. Egrediētē haud
 parua cepit admiratio, q; agro peruastato, nō nisi solitu-
 do esset. Nec à suspitione absuit, quin hostes locū insi-
 derēt: ex q; impetu in ipsum facto præhenderēt. Casu
 uillicū habuit obuiū, ex quo intelligit exercitū ingenti
 præda hominū, pecorūq; acta, ad Aldenburgiū urbē
 contendisse, nec procul ab Elistro amne statiuā habere,
 Aldenburgū Cauritani à Choris uel Cauptis Ptolemæo
 dictis incolūt, nulli⁹ principis ptāte subiectū opulentū
 quidē tum suis opibus, tum agrorū fertilitate oppidū.

D 2 Senatores

senatores urbis, ut in curiam proficiscendum est, Effedis
 uchuntur. Matronis in solenni pompa, non nisi stratis
 per uiam tapetibus ad templum est iter. Incolarum
 uoluntatem, ut inde frumentum atq; omne genus com-
 meatus portaret, conatus est Philippus ad se allicere.
 Non longe ab urbe collis est, in eo sita est arx firmissi-
 mis munita praesidijs, Hugo eius praefectus, qui partes
 Federici fouit, ut ex nuncijs cognouit Philippum pro ho-
 ste esse habendum: repente in urbibus & castellis, quae
 ad Plissinam amnem suae suberant ditioni, expeditos
 milites cum fundis & iaculis, & alio genere armaturae
 imposuit. Bornium urbem, quae non multo ab Alden-
 burgio distat interuallo, magna uim, magnoque telorum
 praesidio muniendam duxit. Postero die ad Philippum
 Legatos misit, quibus causis ipse adductus ad alienas
 terras peruastandas, uim suam expressisset, nulla belli
 denunciatione facta, sciscitatueros. Philippus nequaquam
 iram suppressit. Non modo non Legatorum uerba au-
 ribus admouit, sed capi etiam eos iussit, ac torqueri, ne-
 cariis. Ex Legatis quendam, quod magno ei uisus erat
 ingenio, summamque industria, huic Hermanno Kaynuro
 nomen fuit, ad se deducendum curauit, cumque in secre-
 tum abduxit. Tum ita locutus est: Quod Federicus de
 parente male mereatur, non te fugit, qui tres prope an-
 nos, pluribus cum praesidijs oppresserit. Federico nihil est
 cura, ut patrem paruis opibus ac facultatibus reddat
 praeditum.

Verba
 Philippi.

præditum. Quis hanc offensionem pertulerit, quis tolerauerit? Quare nullam magis egregiam, si aut homini perdito & nefario potionem, qua expota decedat, dederis, nauare operam poteris, aut mihi uiuum tradideris. Neq; ego ingritudinis notam subibo, quin maximis officijs tua ista beneficia remunerabo. Tum Hermannus prius inquit, de uita decedam, cū à me fides soluat. Magnum Sueuis dedecus inuris, qui cum collatis signis patenti campo dimicare insueritis, ad uenum, id quod est hominis infimo loco nati, ac nullo splendore uitæ, nullaq; commédatione famæ defensi, declinastis. Quod si aliqua polleres uirilitate, non ueneno, sed gladio, aut telo Federicū appeteres. Qui ueneno honorem petunt: hos ad Aquilios & Vitellios recidisse dixerim: Libonothanus sum, cuius consuetudinis est cum hoste manum conferere. In posterum de ueneno infundendo, ne uerbum quidem feceris: educito gladium, te in Federicum conferto. Cognosces uiri fortitudinem, fortem mihi crede, & constantem suscipe animū, haud quanto te scelere inquinaueris, intelligis: qui ius legationis nō solum uerbis, sed re ipsa uiolasti. Nec Federicus Legatos omni supplicio interfectos, multos relinquet. Romani Corinthum totius Græciæ lumen, quod eorū Legati superbius appellati erant, extinctum esse uoluerunt: ne tibi quidem impune cedit. ipsi dij scelerum uindices de te exquisitissimum sument

D ; suppliciu.

Verba
Hermanni

supplicium. Quod uero, ni uoluntati tuæ paruerim, te
 capite meo potiturum, affirmas. Sequar Hannibalem
 Carthaginensem, cui à Nerone ferro uita eripienda
 esset. Vtere inquit Marte tuo, Hannibal sum, nullo ter-
 reor leto. Philippus tantam animo concepit iram, ut
 ipsum in uincula conñciendum duxerit. Interim qui
 fuga euaserint Legati, ad Federicum ueniunt: nuncian-
 tes Hermannum à Philippo captum: Ille tanti uiri ca-
 sum nō dolere non potuit: Quem ut uindicaret, omni-
 bus statuit uiribus Philippum cōcidere. Hæc institu-
 ti, nunciatum est Philippum cum copijs in agrum Bor-
 nianum peruenisse, uastasse, atq; nō longe ab urbe con-
 sedisse. Ex quo ad Bornium, ut cum Philippo congre-
 deretur, exercitum admouit. Duūm milium spacio à
 Philippi castris aberat, cum urbis primates ad se acciti
 iubet: quæ profectionis suæ subsit causa exponit, se con-
 silio agitaſſe, qui cum hoste sit prælio congressurus.
 Quare cum non minus de ipsorū, quàm de sua agatur
 salute, ad pugnae præsidium ei robustissimos milites,
 quibus abundant, conferrent: corroborato exercitu, in-
 ter urbem & Philippi stationes confedit. Duorum die-
 rum quietem sumpsit: cum milites ut arma expediant,
 iubet. Qui leuis armaturæ erant milites, ut hostium ca-
 stris obequitent: eosq; ad pugnam alliciant, præmittit.
 Ipse cum reliquo exercitu ipsorū tergis insistebat. Vix
 demandatum sibi munus obierant: cum qui ad castra
 custodiam

custodiam agebant: quanta maxima possunt, uoce in-
 clamant adesse hostes, qui cæteris atate anteibant.
 Sueuus quidam subsistite, inquit, Libanothani, si uiri
 estis, nunc operas uiris dignas ædite: nunc in acie state,
 ne Sueuus, an Sueuis Libanothan⁹ in re militari præ-
 stent. Sit nunc periculum, utrorumq; uirtus enitebit.
 Hæc ubi dicta dedit, ipse unà cum cæteris custodibus
 in equum assiliit, atq; in hostes se cõfert: nec illi pedem
 referunt, quin subditis equis calcaribus, se in medios
 hostes mittunt, & memorabilem ædunt pugnam. In-
 terea Federicus hostium castris appropinquauit, qui
 manum conserebant, ne interciperentur: suspitione ad-
 ducti, gradum referunt: permulti ferro uitam amittunt.
 Cum Philippus ubi Federicũ in acie stantem cõpe tũ
 habuit, edixit: ut milites parati, instructiq; in hostes im-
 petum facerent. At Federicus ut illorũ impetũ sui exci-
 piunt, cõmonet: diu cõtractũ erat certamẽ, cum Philip-
 pus militẽ, ne animũ cõtrahat, dimittatq; hortat, eum
 uictoria potiturũ. Verũ Federicus, q; hostiũ plures ex
 equis prostrati erant, uulneribusq; affecti, se prælio su-
 periorẽ futurũ animo præfagiebat. Igit̃ capita ad se ac-
 cersiri iubet, ut diu inter se sermonẽ cõtulerunt, acies in-
 struunt: & collato pede cõcurrũt. Indinabãt Sueui. Tũ
 Philippi iussu tubicen receptui cecinit, Sueuorum mille
 interfectũ est: ducenti capti, haud affirmauerim, q; qui-
 dem annales habẽt Federici, ne ullũ quidẽ desyderasse
 militem,

Verba
 Sueuici
 militis.

Sueui
 cadunt.

Verba Federici ad milites.

militem, plures tragula confixos esse: fuere nonnulli, de quibus magna Federici erat opinio, qui castra hostium oppugnanda censebant. At Federicus edixit, ut pugna abstinerent. Si quis eius iniussu oppugnatum ea proficisceretur, ut in hostem animaduersurū. Cum igitur se in castra retulisset, Philippi trium dierū inducias petentis: ut corpora sepeliendi gratia, in unum conferentur: uoluntati obtemperauit. hæc accepta clades effecit: ut Philippus rebus suis sapientius consulere: nec temere & fortuito sibi subeunda esset dimicatio. Interea Federicus, quod ea pugna de se optime meriti fuerant, milites in prætorium acciri iussit: atque huiuscemodi uerba locutus est. Quanta in rebus bellicis uirtute polleant Sueui, proxime intelligere potuistis. ea clade illata: ut castra minime egredi audeant, eò peruentum est. Tan- tus est ipsis terror iniectus. quamobrem nolite commilitones mei fortunæ (id quod est tritum sermone pro- uerbum) se præbenti deesse, & oblato casu ad cōsiliū flectere. Prioribus diebus hostium stationes adoriri, atque oppugnare institueratis: ne castra egrederemini: prohibui, quod ex uobis aliquid uulneribus affecti erant, alios pugnae labor confecerat, pauci integri ac recentes. Plures à nobis dati sunt ocio dies: petamus hostium castra, ea oppugnemus. Nobis in manu est uictoria, languori ac desidia, ut exploratores referunt, se dediderunt. pudendum est Sueuos in agris uestris tam opimis, tam fertilibus

fertilibus, ut uarietate fructuum, & magnitudine passionis, cæteros antecellunt, statiuam habere: Quare pœnas aut morte, aut turpi dependant fuga. Hac oratione impulsus, prælium capessere statuerunt: & quales se gloriari soliti erant, eos se præstare. Igitur tripartito exercitum instruxit: nam qui non multo erant corporis robore, ac animo demisso, his urbem tuendam dedit. Qui uero rem militarem callebant, hos ad stationes hostium oppugnandas secum duxit. Reliquos ut Triariorum munus sustineret, instituit: quo si quid aduersi illis evenisset, ipsi præsidio essent. Re in hunc modum composita, Federicus Imperatorem cum Legionibus expeditis, sese in hostem conferre iubet. Haud procul ab eorum castris aberat, cum Philippus ab exploratoribus de ipsius aduentu certior fit. Igitur factu optimum ratus, ut milites instructi, atque armati castra tuerentur, hostesque tantum repellant, per Praeconem pronunciat. Si quis ea egrediatur, is sciat pœnam sibi esse constitutam: ut ad castra uentum est, utrinque tela coniunguntur. Federici Imperator militibus animum afferre adnitens, eam præ se ferant uirtutem, quam tot secundis præliis præ se tulerunt. Hac oratione commoti, in castra profiliunt. Res geri gladiis cœpta est: Eo prælio uictoria perines Imperatorem fuisset: ni Philippi hortatu Sueui animum recepissent. Utrinque complureis gladio ad interuentionem cæduntur: ac sine ullo respectu pietatis extinguuntur.

guuntur : atq; Imperator portam quam patefecerant milites , in potestatem suam redegit . Tum uniuersus exercitus in tentoria impetum facit . Nequeo oratione consequi , quantū sanguinis fuderit . Quippe quantum dextræ ad cædendum ualebant , tantum interficiebantur : Philippus desperata uictoria , cum paucis equitibus prælio profugus Aldenburgium peruenit . Imperatori eum subsequi , haud fuit in animo . Satis superq; erat quod eum castris exuisset . hac uictoria elatus , Borniū uictorem exercitum deduxit . Tulit in ea signa militaria complura , galeas cælatas , uasa argentea , auri , argentiq; uim magnam , uasa , galeæq; Misnam eius iussu deportata sunt : atq; in diui Donati templo locata . Interiectis paucis diebus , Philippus ad Adulphum literas perferri curat , quibus se prælio profligatū exponit , exercitum cæsum , impedimentaq; amissa : Quare si bellum instaurandum curet , mittendum supplementum esse , mittēdamq; in stipendium pecuniam . Adulphus , qui mentē suam ad Misnam subigendam contulera :

Ottingen. audita exercitus strage , repente Georgium Ottingensem cum infinita Sueuorū ac Rhenēsiū multitudine , Philippo in præsidium misit . Cum uterq; copias coniunxisset ad Bornium : ut ea potiret̄ obsidione , cingendæ negocium suscepit . Quantū ab ea cum exercitu nō longe confedisset , ipsamq; tormentis nocte & interdum uerberasset : ciues tamē , qui in Federicum fide & animo

erant

erant singulari, nullus præstringebat pavor. Obsidio ipsa & si dura esset atq; aspera, eam tamē oppidani nihil pendere, q; Federicū omnibus rebus potiorē habebant. Verū magna uis hyemis adeo Sueuos premebat ut Imperatores exercitum abducere cogere. Paucis post diebus Aldenburgiū hyematū cōtenderūt: Adulphūq; ut nouū militē eis ad belli præsidium conferret, literis monuerūt. Interea Legatos p petendis triginta dierū inducijs ad Federicū mittunt: q; ad cōponēdam pacē, omni sint cura intenti, Aldenburgiū ipsorū Legati cōueniant, qui cū cōuenissent, humane, benignēq; accepti sunt. Tum Philippus huiuscemodi orationē habuit: Nunq̄ in animū meū induxi uiri Libonothani, ut Adulphus: & si illum cognatione attingam, uos bello persequerē. Qd̄ si ipsum ad sententiā meam traducere potuissē, profecto res meliori loco staret. Neq; nescij estis, quantū urbibus, atq; agris uestris ex bellis dāna sint suggesta. Toties nobiscū signa cōtulistis, multis cladibus percussi sumus, Nondum bello superiores discessistis, in fine stabit laus, permulti in prælio mortē occubuerunt: clarissimis uiris, quos si fieri poterat, immortales esse oportebat, orbatī sumus. Qd̄ si in mea potestate sitū fuisset, nequa q̄ inter nos man⁹ cōseruissemus, mihi in Adulphi sententiā cōcedendum fuit. Si ager uester uastatus est: si ædes uestre flammis absumptæ: si ad mœnia urbium signa propè intulimus: si eas

E 2. obsedimus:

Oratio
Philippi
ad Libonothanos.

obsedimus, nimirū absumus à culpa, uoluntati aliena sum obsequutus, ut utilitatem publicam priuatā anteponerem: nullum genus mortis mihi recusandum putauī. Princeps Albertus, hanc quam iniuria possidetis, regionem uenum Adulpho dedit: hic magnam uim auri exoluit. Sua repetit: qui si hac se occupatione relaxarat, qui uis eum nulla mente constare arbitraret: magnum Romano imperio dedecus inureret. An nos eos esse existimatis, qui Adulpho, qui omnem propē Germaniam, Pannoniam, Bohemiam, sub imperio suo redegit, resistetis. Hac si estis mente (Bona cum uenia dixerim) aniliter desipitis: Vestrū est uiri Libanothani, quantum studio & fidelitate cōsequi potestis, incepto absistere. Accedite sententiā meā: cum eo redite in gratiam: quā inter nos extiterunt discordiā, ac diffidia, sempiterna deleanē obliuione. Ipse ut rem paucis contempletar: Prius de uita, quā de sententia decedet: qui Romani imperij decus, atq; utilitatem sibi defendendam suscepit. Quod si iure nō poterit, armis tuebitur: quā amplissimum ex equitatu ac peditatu cogit exercitum: statuit quam sibi dii daturi sunt fortunam experiri: ut Philippus orationi suā finem imposuit. Otto Pflugius qui apud Libanothanos summo erat in honore, in hunc modū respondisse fertur. Si quā protulisti uerba cum his, quā abs te priore anno gesta sunt: cōsentanea essent, uiri Libanothani excusationē tuam acciperent.

Otto Pflugius.

acciperent. Nam quod infestissimo in eos odio esses, maxima dedisti documenta: qui Legatos suos uinculis ac uerberibus, atq; omni supplicio excruciatos, necandos iussisti: quid abs te crudelius fieri potuit? Quod uero ais regionem Libanothanam Romano imperio subiici, quod eam Albertus uenum Adulpho dederit: ex quo Federico decedendum sit. Verba sunt, atq; ineptiæ: quod si in sententia permanserit, Adulphum qd ei summi imperij ius datum sit: regno spoliaturū affirmas. Haud tanta nos capit mentis infaniā, ut eos nos esse arbitremur, qui Adulphi impetum excipere ualeamus. Multa in Italia atq; Asia bella ab his gesta sunt, nunq̄ eorum uoluntati defuimus, maximas hostium copias, nostro sanguine ac sudore fuderunt: atq; inimico ferimus animo: cum nobis præter iustitiam, bellum inferendum duxerit, ei deū benignitate resistemus. Non languor, non desidia, nos in oppidis atq; agris, quæ ditionis sunt Federici, tuendis occupat, nulla te dubitatio capiat: quin hi sumus, quales patres nostri, qui Quintilium Varum cum quinq; Legionibus de medio sustulerunt. Illi inuito eam regionem incoluimus: nec tu ignoras Sueuos tuos à Saxonibus inde propulsa-
tos: sed ut rem paucis absoluam, tibi nos eos fore pollicemur: qui nunquā fide decessuri simus, Federico corpus, animūq; addiximus. Igitur infecta pace, quisq; in tecta sua discesserunt: postero die Legati urbem ex-
E 3 cesserunt:

Tubanti/
norum
agri.

Cygnea.

Fribergū.

cefferunt. Philippus rem omnem, ut acta erat ad Adulphum deferri iubet: ex quo iracundia adductus aduersus Libonothanos, comparato, cum ex Sueuis, tum è Rheni acolis exercitu, expeditionē fecit. Igitur per Tubantinorū agros in Libonotriam ducens, ibi primum ad urbem Cygneam exercitū duxit. Fuit hæc urbs tunc Imperatori subdita, à Cygno conditore dicta, postea ab Henrico primo instaurata, ubi triduum statua habuit: ibi parte exercitus Philippo tradita, cum reliquis copijs ad Fribergum contendit. Inde per Camannos iter fecit. Est hæc urbs Marchioni Misnensi subdita ab Ottone tempore Federici primi, ob opulentissimā argenti uenam: muris circumdata: nec procul ab ea castra posuit, quod ad ipsam potestati suæ subijciendam, proposito ferebatur animo. At Federicus ut ex speculatoribus Adulphum, urbem ipsam obsessurum accepit, repente Nicolaum Haugucium cum manu minime contemnenda: qui eam tuendam susciperet, silentio noctis præmittit. Cluius non longe abest à Fribergo, sub eo fossores fossam admodū altā duxerāt, inueniēdi argenti gratia. Eius rei inscius erat præfectus quidam Adulphi: Is in cluii cacumen, ut urbis mœnia & situm cōtemplaret: atq; eo in loco castra poneret, cū his, quib⁹ præerat copijs, euasit. Vix hora intercessit, ut cluius concidit: ea ruina ipse unā & copiæ oppressæ sunt. Adulphi animo tantus est pavor iniectus, ut extemplo castra referenda

referenda duxerit: tum cōmilitones suos ad se acciri iu-
bet. Ego si gradū retuli, nulla uos admiratio subeat:
non enim ab obsidione abduxi exercitū. Verū tot exi-
stunt cuniculi occulti: ut nisi rebus nostris consulueri-
mus, eandem præfecti sumus subituri fortunam: quare
concedite in sententiā meam. Præmittendus est specu-
lator, qui loca in quibus cōfidamus, castris idonea me-
tetur. Cum igitur is loca diligenter inspexisset, non lon-
ge ab urbe retulit solidum esse solum: nullisq; refertum
cuniculis, eo cū exercitu iter conuertit. Interea oppidani
in muris præsidia disponūt, iubentq; ut per uices uigi-
lias agant custodes: Insuper delegunt, qui nocte intra
pomerium muris obambulent: si quem habuerint ob-
uium, qui nequaquā ædat nomen, Ilicoprehendant, sci-
scitenturq; quid causæ sublit, cur nocte ad pomeria con-
tenderat. At Adulphus, q; iam urbem oppugnare sta-
tuerat, tormēta disposuerat, in muros saxa ingenti pon-
dere emittebat: quo factum est, ut magna pars muri
cum fragore haud paruo procideret, cōfestim oppida-
ni, peregriniqu; alterū ex lignis, tenaci terra, uirgultisq;
miræ latitudinis murū extruūt, qui saxorū ictus posset
excipere. Vbi hostis q; tentauerat, secus cessisse animad-
uertit, Adulphi iussu gradū retulit, pfectusq; ad aliam
muri partē, quæ ab ruina nō exiguo spatio aberat, sca-
las admouet, cōscēdere adniti: qui ad eā partē custodiā
habebāt, illū dant p̄cipitē, alijs uentrē, alijs pectus, alijs
brachium

Verba
Adulphi
ad milites

Verba pro
ditoris.

brachium hastis transfigunt: alios in faciem umbone
percutiūt: quo ictu ex muro prolapsis, crura, ceruicesq;
infringuntur, nihil fuit fossæ, quod cadaueribus nō im-
pleretur. Ex quo Adulphus qui à tergo nō aberat, præ-
cedentibus receptui cecinit: atq; omnes cogitationes
suas ad urbem fame macerandam contulit. Annum
unum, menses quatuor traxit. Hæc obsidio, cum iuue-
nis quidã, qui urbem incolebat: ex occulto in hostium
castra proficiscitur, ei Adulphus sui conueniendi pote-
statem facit: Si mihi, inquit Imperator, præmiū fuerit:
re omni, qua uehemēter afficeris molestia liberabo; diu
hanc urbem obsedisti, nōdum eius compos factus es,
Acquiesce consilio meo: à quo si te seiunxeris, omitten-
da tibi prorsus erit obsidio. Aquæductus, per quã nō,
nuncq; aqua in urbem fertur: non longe à porta abest,
in eum si miles ingrediatur: nō modo ad mcenia urbis
penetrabit, uerum etiã in urbem transibit: non absum
ueritate, tu periculum facito. Adulphus iuuenis, uerba
auribus admouit, spondens se muneribus & beneficijs
complexurum. Igitur milites duo è suis cum illo missi,
qui aquæductum inspiciant: & an ita sit, consyderēt: illi
re diligenter inspecta, nunciant iuuenem nullo menda-
cio contaminasse ueritatem. Itaq; milites tricenos dy-
peum, gladium, scalprum, malleum, securim, iubet su-
mere, atq; accensis luminaribus aquæductum ingredit:
ut ad murum uentum est, substiterunt, subito in infrin-
genda

genda muri fundamenta, omnem operam conferunt, breui ingens lapidum multitudo amota est: uix aquæ ductum egressi erant, cum magna pars muri corruit. Ilico Adulphus cum expeditis Legionibus affuit: oppidani, quo hostis ingressum prohibeant, accurrunt, ingens contrahitur certamē. Atrox cædes utrinq; æditur, sed cum uis uī reiſci nō posset. Adulphus siquidem armatorum multitudine abundabat, uictoria potitus est. Oppidani cum plures ex prælio in arcem demigrant, insequenti die Adulphus caduceatorem ad arcis præfectum præmittit: qui uitam, fortunaſq; omnium, si eam uelint tradere, polliceatur: præfectus, ne moleste ferat, respondit: si prius ad Federicum rem ipsam detulerit. Erat Federicus per id tempus in Misna, ubi urbem captam, arcemq; in summo esse discrimine: nec posse illi esse præsidio, quod Philippus cum maximis copijs transitus infederat, cognouit, præfectum, ut eam traderet, literis monuit. Pluris præterea homines, q̄ arcem, commilitonesq; suos: quorū uirtutem pluribus prælijs didicerat, existimabat. His igitur quod omnibus incolumibus res suas liceret efferre, in bonam spem adductus: Adulpho arcem tradidit. cum in urbem cuncti uenissent: Adulphus portas, ne quis ingredi, aut egredi queat, obserari iubet. Præco eius iussu: ut qui arcem egressi fuerant, confestim omnes arma sub exitu uitæ deponant, edicit: id edicti non paruum illis timorem

F incussit.

Adulphus
urbe po-
titur.

incussit. Vt tandē animos receperūt, instituunt egregiā mortē occumbere, sed eos Misnensis quidā: cui multū tribuebant, dehortatus est: Armis in hunc modum depositis, eos Adulphus ad se accersit, atq; nisi intra dies tres, grandī aere redempti sint: unumquenq; turpiter, ignominiosēq; periturum, se sacramenti religione obstringit. Hæc ubi Federico, quem illorum uisendorum summum capiebat desyderium, nunciata sunt: stomachatus est, & moleste tulit, quod pauca admodum ei erant pecuniæ, nec qui ipsius imperio seruebant: quod per tot annos exhausti erant, pecunias imperare audebat. Ex quo Legatos ad Adulphum mittit, querentes nō esse Imperatoris Romani fide decedere, se eius commilitonibus sponsione fidei esse obstrictū. Adulphus qui in Federicū hostilem gerebat animū. Quæ, inquit, protulistis uerba apud me, pro nugis habentur. Ni die craftino, quem necis captiuū destinauī, pecuniæ soluentur, cunctis moriendum erit. Vt Legati ad Federicum redierunt: quo in captiuos Adulphus esset animo, exponunt: ipsum de uita potius, q̄ de sententia decessurum. Ni æs grande exoluat ad unum omnes perituros. Federicus in captiuos misericordia cōmotus: q; sua causa, id discrimē inciderant, Legatos ad Adulphum iterū mittit, qui eius uerbis si captiui reddant, Tres urbes nobilissimas, Grimyn scilicet, Rotlitiū, Lusniacū, quæ nō longe à Multauiō distant, polliceant. In hunc maxime modum,

modum, Adulphi lenita est ira. Cum Legati & captiui urbe excessissent, ad Federicum concesserunt: quos ut iruitus est, haud lachrymis temperavit. Tum ita orsus est. Quam utilitatē, quod emolumentum, quem fructum commilitones mei, quibus urbem nostram tuendam dederamus, consecuti sunt, improba fortuna, quæ fortissimis uiris, ac de uirtute optime meritis, semper fuit inuisa, atq; infesta, eos crudelissime necauit. Si Fribergium amisimus, abestis uos à culpa cōmilitones fidelissimi. Bienniū ab hoste obsessum est: nunq̄ ipsum suæ ditionis fecisset, ni fortuna ipsa uiam aperuisset. Quanta uos beniuolentia, amore, charitate cōplectamur: qui uis hac coniectura cōsequi potest, cum uos tribus ciuitatibus potiores habuerim⁹. Nullus nobis scrupulus, nullaq; dubitatio inijcitur, quin deū munere eas repetituri sitis, quæ fecistis, prudētissimo cuiq; probata sunt, nō semper hostib⁹ fortuna affulgebit. Non incruentā reportarūt uictoriā, si extrema cū primis contexent, haud multū affecuti sunt: huiusmodi ꝑ̄ba cōmilitonibus lachrymas excusserūt: ipsiq; dolor uocē inducit. Hæc dum gerebant, Adulphus literas ad Philippū perferri curat: quib⁹ illum docet & Fribergiū, & arcē in potestātē suā redegisse, quare sit bono animo. Paucis post diebus ad Fonteam, quā paulo ante obsederat: regressus diu eā oppugnauit. q̄ Federicus robustissimis militibus custodiendā dederat: sed fame oppressi, urbē

F 2 in Adulphi

Oratio
Federici
ad cōmi-
lites.

in Adulphi imperiū dediderunt. Inde cum ad Picastrū castra moturus esset ad oppidum, quā Lucam Libanothanorū uocant iter cōuertit: non em̄ parua ei suspitio inerat, ne ab oppidanis exercitui damna suggerentur. Igitur oppidum oppugnare adnititur: ut animaduertit frustra id inceptum esse, quod ipsum Federicus firmissimis munierat præsidijs: hyems præterea appetebat: copias abduxit: séq̄ in Sueuiam contulit: ubi amplissimum numero coëgit exercitum, q̄ ineunte Vere, in Libanothanos ei castra mouenda erant: sed certior factus, q̄ aduersus ipsum Albertus Pannonicus princeps expeditionem parabat, nequaquā in sententia permansit. Veruntamē magnam copiarū partem ad Philippum, qui per id tempus Fonteia statua habebat, sub ea conditione, ut sese ad illum adiungerent, propere iussit. Paucis diebus quieti datis, quod de uia fessæ erant, ad Lucam abierunt. Equidem si annalibus fides adhibenda est, peditum erant uiginti milia: equitum duodena. Hæc ubi Federico nunciata sunt, suspitione, ne hostis primū urbis compos fieret, adductus, deinde Picastrū obsideret. Præterea numero & robore uirorū erat inferior: ex Libonotrijs & Misnensibus p̄ tempore congregauit exercitum. Insuper qui in ciuitatibus hibernauerant milites, custodibus relictis, ut ad Lipsim cōuenirent, edixit. Celebratis missarū solennijs, cuncti CHRISTVM optimū, maximum, ut ipsis de hostibus

der

det uictoriã, præcibus fatigant. Ipse ut se eos præstarent, quales prioribus tēporibus præstitissent, pluribus uerbis hortatur. In sequenti die Picastrū peruenit, ubi noctem unam ocio dedit: sub lucis exortū ad hostium castra profectus est: quibus cum appropinquasset, copias in aciem eduxit: eosq; in prælium exciuit, ne hi pugnam detractarent. Adeo acriter concursus est, ut fremitus pugnantium Picastrū sit exauditus. Diu uictoria neutro inclinata stetit: Libanotrij, quod egregiam Federico nauare operã instituerant: equis calcaribus concitis, maximo impetu in hostem ferebantur, unumquēq; obuium ferientes. Sueui quanq̃ se illis obijcerent: cogebantur tamen pedem referre, quod grauibus uulneribus acceptis, mortē occumbebant. Quo factum est, ut perturbato ordine, prælio profugi, deserta & auia petierint: quibus nullus fugæ locus patuit, hi occisione occisi sunt. Ea pugna Philippus captus est, unaq; per multi nobiles. Federicus Picastrū cum uictore exercitu reuersus, interiecto paucorū dierum spatio, ad Lipsim cōtendit: præibant ipsum, qui equis uehebantur armati, exuias in pilis gestantes. Sequebant̃ uincti captiui. Ut Lipsim intrauit, quicquid auri, argētīq; fuit, in Thomæ apostoli templo posuit. Postq̃ Adolphus copias uictas, cæsas, & fugatas, ac Philippum captum rescieuit, ad reparandum exercitum, omni fuit cura intentus. Ex quo milites complures ad eas urbes, quas ditionis suæ

F 3 fecerat,

fecerat, tuendas eius iussu proficiscunt. Ipse quàm primum oblatam sibi occasionem putabat, subsequetur. Verum prohibitus, quod ei ab Alberto grauissima bella inferebantur: cum reliquo exercitū se in ipsum confert: cum quo dum collatis signis dimicat, interficitur: id quod Federico maximam peperit lætitiā. Quin eo fuit animo, ut urbes amissas, breui recepturus esset. Igitur Philippus, ut acerbi quicquid atque incōmodo ei nunciaretur à custodibus, in ipsius conspectum deducitur. Tum Federicus, quò nunc inquit, tua sese iactabit audacia, In quem abs te fiet impetus, quem Legatum mandandum iubebis, Quas urbes latronibus tuis diripiendas concedas? Ni quæ ad me iure attinent oppida reddenda curaueris, maximo tibi erit infortunio. Philippum tantus pavor, tremorque omnium membrorum cepit, ut diu hiscere non posset: Animo tandem recepto, quæ in mea, inquit, sunt potestate, oppidorū composies. Fribergij reddendi, quando in aliena sit manu, ne mentionē quidem feceris. Paulo post Philippus in carcerem in Roditiana arce demittitur. Vbi cum aliquot dies mansisset, custodum fraude fuga euasit: ad Colditium peruenit: ubi à suis summa cum iucunditate acceptus est. Adeo Federicus illius fugam moleste tulit, ut cæteros nobiles sordidissimo carcere incluserit: atque a motis custodibus eius, fores firmissimis præsidij munierit. Interea Alberto, de quo paulo ante meminim⁹,

summi

summi imperij ius defertur. Ad eum tum Philippi, tum Federici uerbis literæ afferuntur, quod hunc Adulphus nulla laceffitus iniuria, regno depellere sit conatus, urbibus spoliauerit, cladibus affectit. Quare ut aliquando tantis laboribus, modus statuatur suæ maiestatis esse: id facile fieri posse, ut opera sua Philippus alieno abstineat. At Philippus se in maximum discrimen adductum, uerericq; ne his urbibus, quas Adulphus in imperij Romani potestatem redegerat, priuaret, affirmabat. Quare ferendas ei suppetias statuerat, ne de Imperatoris dignitate minueretur. Albertus, quod ad omnes dolos, & ad omne consilium, uel cogitandum, uel explicandum prudentissimus erat: utriusq; literas & diligenter, & accurate legit. Igitur Federicum bono respondet esse animo: eum nulla spe decidere, quin amissa oppida sine ictu gladij sit recepturus. Se ad Bohemiam breui iter facturum, Federicus ad eum diuertat, Philippus aderit, pacis inter eos componendæ, se curam, onusq; suscepturum: atque ut oppida reddantur curaturum. Federicus hoc responso accepto, non mediocri exiij læticia. Haud multi dies intercesserunt, cum Albertus Aldenburgium peruenit: ad Federicum, ut ad se iter intendat, nuncium mittit. Concessit Federicus in Alberti sententiam. Nulla siquidem interiecta hora, eò contendit: ab Oppidanis humane, benignèque excipitur. At Albertus erga Federicum colloquutiones familiarissimas:

familiarissimas: complexusque summæ beniuolentiæ, falso iudices simulat, seque pollicetur, quantum in eo fuerit, accessurum desiderio suo. Haud multo post hospes aduenit, Federicum ad sumendum cibum inuitat. Interea Albertus quendam ex armatis, quos ad custodiam corporis: non solum in bello, sed etiam in pace habebat, ad se accersit: huic si Federicum necauerit, magna argenti, aurique præmia statuit. Igitur auaritia captus, sese rem transacturum spondet: Cœnabat nobilissimus princeps, cum latro districto gladio in triclinium ex occulto interuenit: qui cum Federico erant robustissimi ac fidelissimi milites, hominis mirati aduentum repente surgunt: atque in eum cōiucia faciunt. Non defuerunt, qui se latroni opponerent, uni gladio brachium traiecit. Milites ira perciti, latronemprehendunt, discerpuntque. Hospes ne tanti sceleris conscius haberet hospitio Federicum abducit, Interea tanti facinoris fama urbem peruasit, ad rem uisendam maximus fit hominum concursus: hospitium oppugnatur: ingreditur, ut Federicum nusquam intuentur, in milites impetum faciunt: alios uulnere afficiunt: alios occidunt: aliosprehendunt: alios in fugam uertunt. Postero die Federicus mutata ueste, ac nullo comite urbem egressus est: ac per nemora auia Picastrum terrestri itinere concessit. Insequenti die, quibus apud ipsum præcipua erat autoritas: ut ad se accedant, commoneri iubet. Paruerunt

ruerunt illi principis uoluntati, cum omnes ei assedis-
sent: quantam in ipsum & commilitones suos credulita-
tem adhibuerit, qui ue impetus factus sit, exponit: haud
procul abfuisse, quin ab Alberti milite occideretur: se
cum fore qui post hac nulli Imperatori sit fidem habi-
turus: suo periculo multos docuisse, qui rebus suis in de-
mentissimam subierint temeritatem, sapientius consu-
lent. Nunquā in eo principe spem eam collocandam, cui
ingenium nō est laudabile, neque lene consilium, qui sa-
uitiam meditatur more leonis, qui & ui & animi super-
bia fretus, prædæ audus, gregem inuadit. Se nondum
esui potuicque finem imposuisse, cum miles stricto gla-
dio, ut ab eo occideretur missus est, se comilitonū suo-
rum beneficio seruatū. Cum in hæc deflenda prolabe-
retur, steterunt grauissimi uiri diu mutua admiratione
defixi, omnes in avaritiam, qua uehementer impedi-
batur, crimen contulerunt. Enim uero si à ueritate abes-
se nolumus, fatebimur unam esse avaritiam, cui si etiā
adieceris superbiā: haud ibo inficias, quæ officiū omne
peruertit. Tandem omnium eò ut in Albertū uindicare-
tur, inclinarunt sententiæ. Cum in hoc statu ad Picastrū
res essent, Albertus captiuos, quod Federicum incolu-
mem petisse Picastrum rescierat, è carcere emitti iussit.
hi se patriæ reddiderunt. Nec parua præterea, ne essent
qui eum tanti sceleris autorem arbitrarentur, suspicione
adducebant. Philippus uero ne fide decedat, ne animo

G deficiat

deficiat, ne ullus ipsum subeat timor, uerū urbes atq; arces sibi tuendas putet: quod ei ingētes copias in præsidium breui sit missurus, certiorē facit. Postero die ad Frisingū ut ciues ad amicitiam & cōsuetudinē suā traducet proficiscit: eis tributorū immunitatē tribuit. Rebus ita cōpositis ad Boemiā diuertit. Hæc ubi Federico nunciata sunt, nulla interposita mora exercitum comparat atq; ad Fonteiam castra ponit. Interea Albertus princeps Thuringius ut filiū Ludouicū, quē extra matrimonium natum diximus, instituerat hæredem, se principatu imperioq; abdicauit. Eam rem permulti inimico tulerunt animo. Sed præmio corrupti nequaquā in sententia manserunt: haud multum temporis intercessit cum Albertus in Erfordia extremū uitæ diem morte confecit: confestim inter proceres quod alij Ludouico, alij Federico principatū deferendū censebant, est oborta contentio: ubi his de rebus ad Federicū allatus est nuncius, Theodericū cum multitudine armatorū ad Fonteiam cūueniendā mittit: ipse in Thuringiā iter intendit, repente infinita expeditorū militū multitudo sese ad eū adiūxit. Ex quo ciuitates complures ditionis suæ fecit: qui Ludouico studebāt, Erfordenses Comitē Vinariæ, Comitē Glichoniensem, non nisi prælio superatos dimisit: quibus ad fugam pedes auxilio fuerunt. Secūdo ad Albertum proficiscuntur auxilium orantes, haud desuit Albertus eorum uoluntati. Nam quem ex Pannonicis

monicis coegerat exercitum illis ad belli præsidium con-
 tulit. Interim Federicus urbem Gotthiam, quondam a
 Gotthis conditam obsidebat: cum legiones Alberti in
 Thuringiam peruenerunt, cuncta ferro incendiôq;
 absumentes. Tandem cum Erfordensibus ut tutiores
 redderentur, se coniūxerunt. Ea tempestate comes Vi-
 nariæ, de quo paulo ante dixi Erfordensibus impabat,
 corroborato in hunc modū exercitu in urbis Sanger-
 hausensis portis cōsederūt, diu eā obsederāt cū incolæ
 occultū nunciū ad Federicū ut ipsis copias in præsi-
 diū mitteret p̄ficisci iubent. Paruit hic illorū uolū-
 ratū: nam quæ ipsis præsidio essent legiones expeditissimas duce
 Theoderico mittēdas duxit. Nec multo post ipse Got-
 thiā sub imperio suo redegit: ut aliquot ocij dati sunt
 dies cum uictore exercitu in hostes iter confert. Quod
 ubi rescuerūt ab urbe copias abducunt, atq; ad urbem
 Vinariam profugi se recipiunt, nec uestigijs abest Fede-
 ricus ubi eos se in urbem coniecisse animaduertit: binis
 castris modico inter se distantibus interuallo: ne exi-
 tus inclusis ab urbe néue aditus foris ad auxilia in-
 tromittenda esset, in portis consedit. Tandem eius
 compos factus est. Vine an deditioe incertum ha-
 beo, hostium alios occidit, alios cepit. Comes Vina-
 riæ cum permultis Erfordensibus captus est, & in uin-
 cula coniectus. ex Alberti exercitu milites complures,
 mirum fuga euaserunt, seq; ad urbem quam Salzam

G 2 uocant

uocant contulerunt, qui cum Erfordensibus & comite
 Glichoniēsi ut eis præsidium mitteret, per occultos agūt
 nūcios, eo præsidio ad arcem quam Hectorisbergium
 uocant, castra admouerunt. annum prope obsederant,
 nec eā imperio suo subiecerāt. Ex quo Federicus quod
 multitudine hominū abundabat, ad eam obsidione li-
 berandā diuertit: quod omnes ferē se fuga præpauerūt,
 qui operas fortibus uiris dignas ædant mortem opper-
 tierunt. Hæc cum in Thuringia gerūtur Theodoricus
 copijs Sueuorum prostratis, Fonteiam, Fribergiū, com-
 pluraq; oppida, quæ ad eos descuerant in potestatem
 suam redegit. Ex quo ad Lipsim in Hiberna cōtendit:
 Casu accidit ut dominicæ natiuitatis sacra, in templo di-
 ui Thomæ celebrarent: is cum adesset, quod religio-
 sissimus esset, à milite quodā interfectus est: extemplo
 fama percrebruit id factū Philippi hortatu: Id ubi Fe-
 dericus ex nuncijs cognouit, nulla interposita hora, Li-
 psim uenit, & in templo diui Pauli apostoli tumulatur,
 ibiq; Philippū Cignauiorū, Aldenburgeniū & Camā-
 norū præsidio, Fonteiam potestati suæ subiecisse cōperit:
 deinde Lucam copias duxisse, atq; in portis confedis-
 se. Ex quo legatos in Thuringiam, qui delectū habeāt, mit-
 tit: Ipse cum Libonotrijs Picastrū peruenit, in eam ciui-
 tatem cum omnis exercitus cōuenisset, in Philippū iter
 intendit, eo animo, ut sua manu illū occideret: cū uterq;
 exercitus diu cōgressus esset, imperatoresq; suis animū
 adferrent.

adferrent. Philippum pugnātem animaduertit: hic est inquit cuius prodicione frater meus mortem occubuit: haud impune sibi erit. Igitur in nobilissimū ac robustissimum equum assiliit, eumque educto gladio in Philippum concitat, nec ille pugnam detrectat: pugnam diu pugnaverūt, cum Philippus pluribus ac mortiferis uulneribus grauatus, ex equo prolabitur, subito quæ sub signis suis militabant copias fama peruasit: Philippū cæsum esse, ex equo prolapsū: omnes terga dederūt. Quibus etiam Philippus urbes ab se captas tuendas dederat: ut interfectum intellexerunt, ipsis relictis ad Eribergiū confugiunt. Quoniā eo temeritatis deuenierant, ut ipsum tueri minime diffidebāt. Federicus uero quod ei ciuitates relictæ sese dediderant in Thuringiā regressus est: ibi comperit Ludouicum comparasse exercitum: quod Albertus magnam uim Gallorum illi in præsidium miserat, quo auxilio Calonem oppidum obsederat: præterea Erfordenses & Comitē Glichoniensem ad Herciniū, ei syluæ id est nomen, castra posuisse. Ex quo iracundia adductus, cum Ludouico manū conferere statuit. dextrum cornu tenuere Libonothani & Misnenses, sinistrum Thuringij: & si diu collatis signis dimicassent Federicus tū prælio usus est secundo. præerat hostilibus cohortibus Boemus quidā: cui Schonbergo erat agnomen: hic captus est & in carcerem coniectus. Hac uictoria elatus, ad Erfordenses animū uer-

Oratio Fe-
derici ad
Erfordēses.

tit ac prius consilio, quod humanissimi est principis, quàm armis agendum statuit. Igitur ex ipsis quosdam qui magnæ autoritatis erant, nam eos per nuncium ad se acciri iusserat, in hanc sententiam alloquitur. Non sum nescius uiri Erfordenses quanto amore Ludouicum, incerto patre natum complectamini: cui uos metipsos addixistis oppida, quæ mihi hæreditate obuenerant, sub illius imperio redigestis. Quod si id quanto nobis futurum esset periculo cum animis uestris consyderaueritis: nimirum aliena fuissetis uoluntate, eam coacti estis subire fortunam, cuius memoriam perhorresco ex animi mei sententia, iuro ut ego de Erfordensibus, si post hac in eandem curam incubent: exquisitissimum supplicium sumam, Quo temeritatis adducti estis: qui cum Federico cui tot uictorias de hostibus dii immortales dederunt, manus conferere audeatis: Sueui bello fortissimi sunt, eos tamen non semel, sed sæpius prælio subegi. Proxime Alberti exercitum, cum quo Norici, Heluetijq; se coniunxerant prælio fudi: castris exui, ingentiq; præda sum potitus. Quæ cum ita sint, decedite à sententia, accedite desyderio meo. Consulite saluti uestræ, deſcite de principatu & imperio, expellite incerto patre genitum. Quod si in sententia perstabitis, bellum parate: qui pacem pati non potestis.

potestis. Erfordenses, qui infestissimo in Federicum erant odio, se ad eos qui opibus, armis, potentia ualebant, de ea re relatueros respondent. nec uereri: quin in ipsum suam sint uoluntatem collaturi. Ut igitur regressi sunt, Federici orationem exponunt: qui se populo addixerant: armis inquirunt decernendum est, quod Federicum terror inuaserit. Postero die Erfordenses & Federicus inter se manus conseruerunt. Nunquam acrius castra castris collata sunt. Quippe gener ac socer, fratres, ciues, infestis hastis se mutuo petierunt: Eo praelio res Federici superior fuit: Erfordenses Ludouicum Comitem Glichoniensem in syluas equo abriperunt. Reliqui arma abijcientes sese Federico permiserunt: omnis ferè Thuringiæ populus à Federico in deditionem receptus est: Ipse paucis post diebus, quod reficiendus erat exercitus, ad Misnenses diuertit. Fribergum, quod à Sueuis captum diximus, recepturus. Cum igitur stationes ante urbem posuisset: Caduceatorem præmittit, qui ciues admonet ad unum omnes: ni in sententiam suam concedant: Sueuos exterminet, urbem tradant, perituros: Fribergum sui iuris esse, ad se adtinere. Ciues, atq; hi potissimum qui plurimi fiebant: non ad se spectare, qui urbem tradant, respondent: semel Alberto imperatori fidem suam, constantiamq; præstitisse: non esse consuetudi-

nis se ab illa desciffere, quin in eos qui eam uiolassent ab ipsis seuerissime uindicatum, nec par esse his qui urbis custodiam haberent iniuriã facere, quin eos esse ea uirtute præditos, qui amissam breui recepturi foret. Federicus Caduceatoris uerba mēte agitans, armis agendum statuit. ut igitur muros demoliretur immēsa magnitudinis tormenta idoneis locis disposuit: Breui procidit magna pars muri cum ingenti fragore: ambibat murum fossa mirã latitudinis atq; altitudinis, ea iussu Federici oppleta est. conabatur obsessi missilibus hostē submouere: quæ in portis erant præsidia disposita, parum proficiebant, quod tormentis telisq; icta moriebantur. Verum fossa oppleta, militibus Federici ad muros transitum dedit: magnam partem dolabris subruerant, cum ruere incepit. at obsessi ad defendendam urbem, quæ opus erant, nihil prætermittebant: tum qui apud Federicum militiam militabant pedites nonnulli, quanta maxima possunt uoce inclamant. referte commilitones gradum, mœnia corruunt, in hæc uerba corruerunt: adeo excitata est pulucrea nebula, ut multos cum oppidanos, tum hostes oppresserit. ut sedata est: tollitur omnibus ingens clamor, nunq̃ acrius concursus est. Nam quo magis oppidani iaculis, catapultis, balistis, atq; omni telorum genere repellere nitebant, eo magis sese inferebāt. plus mille hominū interfectū est:

est: Federicus desperato ingressu, ad alteram murorum partē, quæ à ruina multos passus aberat, scalas admo-
 ueri iubet, magnūq; numerū militū conscēdere, seq; in
 urbem immittere: uix murū conscenderāt, cum hostes
 cepisse urbē rumor emanauit: quo factū est ut Sueui
 ciuesq; pedem retulerint, tum Federicus instare, unū-
 quēq; obuium ferire, animū suis afferre. Mars ipse ex
 acie optimū quenq; pigneratur: cōplures metu mortis
 compulsi, abiectis armis, in loca abdita se conferūt. qui
 bus nullus fugæ locus patuit, ad Federici genua proci-
 dunt, errati ueniā petentes. tum princeps demētissimus
 in eos misericordia cōmotus, nequis post hac feriretur,
 per præconē pronūciauit, quod ipsi suo exēplo docti,
 arrogantiaē poenas dedissent, Sueui ut armis depositis
 infra biduū urbe egrederentē edictum. permultæ ciui-
 tates nunciata Fribergij clade, se Federico sponte pmi-
 serunt. Tandem ad Aldenburgiū castra posuit, annū
 propè illud obsedit, quod à ciuibus fortissime obsiste-
 batur. Est non longe ab urbe arx in colle munitissima,
 quam & expugnare aggressus, sed cū ui id efficere diffi-
 debat ad insidias confugit. Igitur milites (quorū uirtute
 fidebat) ad se cōuocat: his si arcis murū scandant ac cu-
 stodibus aut interfectis aut prehensis eam sibi tradāt,
 magnā uim argēti pollice: Illi Federico obtēperare cu-
 pientes, interdū in syluis, quæ ab urbe haud procul ab-
 erāt, delitescūt: simulq; murorū altitudinē contēplant.

Secunda

Secunda uigilia insidias egrediuntur: qui cæteris ætate anteibant, omnes in secretum abducit, oratq; ut confer-
tis manibus mutuã dent fidem: se diligenter inspexisse
murorũ ambitũ, eos esse custodes, quorũ animos con-
festim timor subibit: se primũ qui murũ conscendit fo-
re. Res in hunc modum componitur: erat nox intempe-
sta, cum nullã emittentes uocem, ex sylua abeunt, ut lo-
co eis accommo perspecto in mœnia euaserũt, pau-
lulum morati, scalas lineas, quarũ extremis illigatæ erãt
manus ferreæ superiorũ murorũ parti iniiciunt. Nimi-
rum quibus fortuna affulget, id quod est in prouerbio
celebratum, ñ nullo egent consilio. Custodes qui in mu-
rorum custodia erant, ad unum omnes necarunt. Alios
in caput a muro præcipites dederunt, alijs uitam ferro
eriperunt. Non multo post Federici signa ad mœnia
deposuerũt. Ego custodes uel mēte uino alienata fuisse
crediderim, uel somno oppressos, hoc maxime modo
Federicus arce potitus est. Ipse antelucano tēpore cum
legionibus expeditis intromittitur: In sequenti nocte
ardentissimas faces in ciuium tecta coniici iussit: quæ
flammã incendiũ euomebant, eorum ruentium fragor
ubiçq; audiebatur: fama est tertiam prope partẽ urbis
flammis absumptam. coacti sunt obsessi ac mœnibus
inclusi se dedere. Qui in pertinacia perstiterant eorum
bona diripuit, reliquos tutos præstitit. Quæ proxima
erant oppida ne eandẽ cogērẽtur subire fortunã, metu
perculsa

perculsa clauēs ad quercus depositas ei detulerunt. Reluctarunt autē aliquot annis Cignei & Camanni, ne se suæ ditioni subderēt: quoniā hī iuris imperij semp fuerē, sed diuturnis incurſionibus & multiplici incōmodo affecti, in ſententiā eius concedere coacti ſunt: adſentiēte Ludouico Bauaro impatore, qui has urbes Federici adminiſtratione cōmiſit. In exitu annus erat cum de in tregro in Thuringiam uictorem ducit exercitū. Caſtella demolitus, uicos incendio conſumpſit, agros uasta- uit, arbores succidit, turres ad ſolū euertit. Paucis poſt diebus in Erfordiam inſeſtiſſimo progreditur odio. Erfordenſes ei obuiam prodeunt precibus orātes, ut mo- dum iræ ſtatuat, quæ ut ſuppreſſa erat, aliō referret cogitationes ſuas, ſe fateri è recta uia declinaſſe: hoſtibus ſuis præſidio fuiſſe, eſſe demētix ac prudētix ſuæ, ipſo- rum excuſationē ſuſcipere. Federicus eis crimina condo- nauit: iuſſitq; ut quotannis maximis ipſum, & a qbus ei ſuccederetur, muneribus proſequerentur, ac ſingulos iureiurando adēgit.

IO. GARZONIS BONONIENSIS RERVM SA-
XONICARVM AD ILLUSTRISSIMVM
FEDERICVM SAXONIAE DVCEM,
LIBRI SECVNDI FINIS.

BASILEAE APVD IO. FROBENIVM MENSE
MARTIO AN. M . D. XVIII.

partibus clavis et pectoris deus et dicitur in
lactante autē aliquot annis Cypri & Cassiani ne se
suis ditione subdicitur in suis aspectu tempore
et sed dicitur inculcanda et multitudine modis

esse in inventis eius
colubus duo in
administratione com
regio in Thuringiam
haemonius uicos in
ut abores in
debus in Eboraciam
fictis in
dum ne factis
gationes suas
inspicit in
sua extensione
natura in
dicitur in
inueniendo adige



IO.


FRO.

IO. GAZONIS BONONIENSIS ERRATA SA
XONICARVM AD IVLIVSSIMVM
FREDERICVM SAXONIAE DUCEM
LIBRI SECVNDI FINIS
BASILEAE APVD IO. PROBERIVM MENSE
MARTIO AN. M. D. XVIIII

tur: qui certis
 uic, oratōp ut
 diligenter imp
 , quōū amon
 murū confend
 rurerat nox
 ex sylua abent
 mcenia euale
 extremis illige
 parti iniunc
 quod est in pro
 Custodes qu
 omnes necar
 runt, alijs
 derici signa ad
 ēte uino alien
 os, hoc maxime
 telucano resp
 tur: In sequen
 ecta conspici
 rum ruentium
 am prope par
 ar oblesi ac m
 cia perflitran
 ractitit. Quae
 ar subire tormā

RERV
 percussa da
 luctarunt a
 suæ ditioni
 re, sed diut
 affecti, in se
 te Ludouic
 administra
 tegro in Th
 la demolitu
 uit, arbores
 diebus in E
 fordenses ei
 dum iræ sta
 gitationes s
 suis præfidi
 rum excusat
 nauit: iussit
 ei succedere
 iureiurando

IO. GARZ
 XONIC
 FED
 BASILEA
 MA



runt. Re-
 anni, ne se
 semp fue/
 cōmodo
 ad sentiē
 Federici
 um de in
 . Castel-
 s uasta
 ucis post
 odio. Er
 s, ut mo/
 ferret co/
 nostibus
 suæ, ipso
 a condo
 a qbus
 singulos

VM SA
 VM
 M,
 AENSE